


9496



Rep. XXXVI. 7. no. 340.

2
Epitome

DOCTRINAE
POLITICÆ, EX OCTO
LIBRIS POLITICORVM
ARISTOTELIS
collecta, pro Academia
Argentinensi,

PER

M. THEOPHILVM GOLIVM
ETHICES ET POLITICES IBI-
dem quondam Professore.



Cum Gratia & Privilegio Cesareo.

ARGENTORATI,
Typis Iosæ Rihelij.

j.

TYPOGRAPHVS
LECTORI SALVTEM.



*ACCIPERE CANDIDE ET
benevole Lector, iam alteram par-
tem Practicæ Philosophiæ, à Claris-
simo viro Dn. M. THEOPHILO
GOLIO (piæ recordationis) in quæstiones resolu-
tam. Opusculum profecto cum utilissimum, tum
maximè necessarium. Ex quo si quicquam utili-
tatis ceperis, percipies autem dubio procul quàm
plurimum: illud omne, authori, viro nunquam sa-
tis laudato acceptum feres. Vale & ceteros
in hoc genere conatus nostros be-
nigne adiuua.*

INDEX

INDEX MEMORABILIVM RERVM QVAE
in hac Politices Epitome continentur.

A

A Cquisitio naturalis duplex. 43
 Acquisitio victus. 42
 Adulteriū vitandum. 382
 Ad beatam civitatem duo requiri. 365
 Ad conservandam Reip. formam utile est certis annis civiū bona censere. 259
 Aequalibus aequalia tribuenda. 367
 Aetas apta ad coniugium. 380
 Affectus belluinum quidam. 182
 Ager civitatis quantus esse debeat. 374
 Agri quomodo distribuendi. 349
 Ager civitatis. 333
 Agricolaë. 295
 Agricolas non affectare ambitiosè honores in Repub. 296
 Agricolas olim durissimas oligarchias & Tyrannides patienter tu-

lisse. 296
 Agricolas & sordidas opifices non posse inter cives numerari. 341
 Agricolas non simpliciter à numero civium excludi. 344
 Αἰσυρνευεῖαι quid? 172
 Αὐξήσις πᾶρα τὸ ἀνάλογον. 241
 Alcibiades contemptor Tibiarum. 417
 Animo deberi imperium. 31
 Animi humani duæ primariae potentiae. 370
 Animi & corporis labores se mutuò impedire. 404
 Αἰσθητικὰ Cretensium. 118
 Animum magnam habere similitudinem cū harmonia Musicae. 410
 Arbitri officium. 103
 Artifex nemo nascitur. 70
 Artium præcepta referri ad Theoriam. 106
 Artium illiberalium definitio. 391
 Artis perfecta cognitio an

I N D E X.

- in hac vita comparari
possit. 392
- Arcopagiticum iudicium.
124
- Aριστοκρατία* quid. 148
- Aristocratia melior re-
gno. 176
- Aristocratiae species. 196
- Aristocratiae & politicae cur-
minus obnoxiae muta-
tionibus. 234
- Aristocratibus utile, habere
in civitate multa loca
munita. 353
- Athenienses Chios, Les-
bios, & Samios sube-
gisse. 168
- Athenienses amasse De-
mocracias. 202
- Athletica exercendi cor-
pora ratio cur impro-
bata. 401
- Avaritiam civitatibus ex-
itium adferre. 138
- Auditores Musicae dupli-
ces. 421
- mi, quam ex fortunæ
bonis aestimanda. 316
- Bellica studia è civitati-
bus an exterminanda.
372
- Bonum est quod omnia
appetunt. 9
- Bonum publicum in quo
consistat. 9
- Boni politici officium con-
sistere in sex partibus.
185
- Bonitas Reipub. aestiman-
da ex mediocritate.
208
- Bonum politicum præ-
stantius œconomico.
15
- Bona disciplina præca-
vendas esse seditiones.
123
- Bona alia simpliciter, alia
ex conditione bona.
120

C

- B
- B**eatitudo civilis quid.
362
- ad Beatam civitatem effi-
ciendam requiri virtu-
tem & bona externa.
364
- Beata vita potius ex ani-
- C**arthaginensium Res-
publica. 120
- Carthaginensium centum
viratus. 120
- Carthaginenses in eligen-
dis magistratibus non
solum virtutis, sed et-
iam divitiarum ratio-
nem habuisse. 121
- Caupo-

7 N D E X.

Cauponaria	acquisitio	quàm ad bellicas vir-
quid.	51	tutes accommodandã.
Cauponaria	acquisitio	370
fordida.	51	Cives quibus rebus opus
Catilina.	241	habeant.
Causę generales mutatio-		341
nis Tyrannici Impe-		Civitatem non posse con-
rij.	267	stare ex solo medico
Causę speciales mutatio-		vel agricola.
nis Imperij Tyrannici.		340
269		Civitas in eiusmodi loco
Clisthenis Atheniensis in-		extruenda, vbi aquarũ
stitutum.	300	copia.
Civitas quid.	16	352
Civitatis origo à natura.		Civitas mœnibus cingen-
18		da.
Civitas prior domo.	21	356
Civis quis dicatur.	129	Civibus metum incutere
Civis improprie dictus.		nonnunquam utile ci-
129		vitatibus.
Civis vulgata divisio.	130	259
Civium quatuor genera.		Circa infantum educatio-
129		nem quę observanda.
Civium numerus quo pa-		383
cto augendus.	299	Cœnacula civium iuxta
Civitas optimè constitu-		mœnia extruenda.
ta.	318	360
Civitas apta ad Demo-		Cœnacula magistratum
cratiam, Oligarchiam,		& sacerdotum non pro-
Aristocratiam & Poli-		cul à templis debere ef-
tiam.	210	se remota.
Civilem societatem con-		350
stare ex duobus gene-		Communio Platonica ab-
ribus hominum.	366	olet gradus cognatio-
Civium disciplinam po-		num.
tius ad virtutes pacis,		81
		Communio Platonica pa-
		rit ignorantiam paren-
		tum.
		81
		Communio Platonica
		tollit amorem.
		81
		Communio honorum.
		86
		Coniunctarum societatu
		tres species.
		11

7 N D E X.

Consilium Periandri. 167	Democratia deterrima. 299
Conversio Democratiae in Oligarchiam. 247	Democratia ut firma permaneat quae observanda. 299
Conversio Democratiae in Tyrannidem. 248	Democratia Sophismata. 213
Conversio bonae Democratiae in malam. 249	Democratias rarius quam Oligarchias mutari. 234
Conversio Oligarchiae. 250	Democratij utilis planities & æquabilitas locorum. 355
Conversio Aristocratiae. 254	Demagogi. 193
Consultationis capita. 215	Differentia sacrorum magistratum. 312
Cretensium Respub. 117	Dionysius Tyrannus. 179
Cretensium quinqueviretus. 120	Dictum Iasonis. 140
Cretenses per quos suos agros coluerint. 118	Digressio à Iure duobus modis fit. 255
Cretensium magistratus in tres ordines divisus. 118	Discrimen artificis & serui. 68
Cultus divinus per quos debeat administrari. 347	Disciplina adolescentum in civitate vna & communis esse debet. 390
Cultura agrorum servis permittenda. 350	Disciplina adolescentum quorsum dirigenda. 390.
D	in Discendis artibus modum servandum. 392
D emocratia quid. 149	Dispositio ædificiorum triplex. 353
Democratiae notæ. 149	Domus quid. 14
Democratiae species. 191	Dominus quis. 24
Democratiae aliæ puræ, aliæ mixtæ. 289	Dominium bello acquisitum esse violentum. 34
Democratia optima. 295	Domi-

7 N D E X.

Dominium duplex. 324
 Dominium iustum quid.
 324.
 Dominium iniustum quid.
 325
 Duo requiri cui imperi-
 um iure debetur. 325

E

AD Efficiendū virum
 bonum tria debere
 concurrere. 364
 in Eligendis magistrati-
 bus an opes & diuitiæ
 spectandæ. 122
 Εἰδεία. 242
 Exemplum Carthaginen-
 sium. 303
 Exemplum Tarentino-
 rum. 303
 Exemplum Regum Per-
 farum ac Medorum.
 407
 Exercitia puerorum qua-
 lia esse debeant. 386
 Exercitijs quomodo v-
 tendum. 403
 Ex solis pauperibus aut
 seruis nulla potest con-
 stare ciuitas. 162

F

F Abula Anthistenis. 166
 Fides nunquam vio-

landa. 134
 Finis ciuilis societatis τὸ
 ἀγαθόν. 8
 Finis triplicē habet con-
 siderationem. 8
 Finis principalis ciuilis
 societatis εὐδαιμονία. 153
 Finis ciuitatis ἢ ἀντίρ-
 κεια. 77
 Finis legum salus populi.
 105
 Finis Musicae. 405
 Fœneratio quid. 59
 Formæ Reipublicar.
 148
 Forma ciuitatis æstiman-
 da ἐκ τῆς πολιτεύματος.
 Formula iuramenti Oli-
 garchici. 264
 Forum quid. 360
 Forum liberum. 36
 Forum rerum venalium.
 360
 Forum Magistratum. 36
 Fortuna secunda reddit
 homines insolentes.
 260
 Frigoris commoda. 385
 Fundamentū Democra-
 tiæ libertas. 291

G

G Rammaticam referri
 ad animi culturam.
 394

A 4

I N D E X.

- | | |
|---|---|
| <p>Grammaticæ utilitates. 397</p> <p>Grammatica utilis <i>πρὸς ζήτησιμον.</i> 397</p> <p>Graphica quid. 394</p> <p>Graphicæ utilitas. 398</p> <p>Gymnastica quid. 400</p> <p>Gymnasticæ tres species. 400</p> <p>Gymnasticæ utilitas. 399</p> <p style="text-align: center; margin: 20px 0;">H</p> <p>H Abere quæstui Rempub. nefariū & sceleratum. 26</p> <p>Harmoniarū quatuor differentiæ 410</p> <p>Harmonia Lydia. 418</p> <p>Harmoniarū species. 418</p> <p>Harmonia Phrygia. 418</p> <p>Harmonia Dorica. 418</p> <p>Hercules cur è societate Argonautarum exclusus. 167</p> <p>Herili more velle imperare iniquum. 321</p> <p>Hippodami Milesij dispositio adificiorū. 354</p> <p>Hippodami Respub. 99</p> <p>Hippodami instituta. 100</p> <p>Homo <i>ζῶον πολιτικόν.</i> 19</p> <p>Homo homini lupus. 22</p> <p>Homines cur ciuitates mœnibus cinxerint. 22</p> | <p>Homines obnoxios esse affectibus. 155</p> <p>Homine imperito nihil iniquius. 158</p> <p>Hominiis optima vita. 314</p> <p>Homnibus leges, legibus homines esse adiungendos. 180</p> <p><i>Υβρις τικται πτωείαν.</i> 238</p> <p>Honorem & ambitionem duplici nomine præbere causam seditionibus. 139</p> <p>Honores mutant mores. 260</p> <p><i>Υπαραρχήν</i> quandoq; causam seditionibus præbere. 140</p> <p style="text-align: center; margin: 20px 0;">I</p> <p>IN artifice an requiratur virtus moralis. 68</p> <p>In eligendis magistratibus virtus potius quàm familia spectanda. 114</p> <p>Imperium domesticū non idem esse cum imperio politico. 36</p> <p>Imperium herile esse tantum penes vnum. 37</p> <p>Imperium ciuile esse penes plures. 37</p> <p>Imperium Paternum quale. 62</p> <p>Imperium mariti esse <i>πολιτικόν.</i> 62</p> <p style="text-align: right; margin-right: 20px;">Impe-</p> |
|---|---|

I N D E X.

- | | |
|--|---|
| <p>Imperium herile esse quodammodo Tyrannicum. 63</p> <p>Imperij domestici species. 151</p> <p>Imperandi ius virtute æstimandum. 151</p> <p>Inæquales non debent æquali loco & iure haberi. 165</p> <p>Infantia. 383</p> <p>Infantes lacte materno alendos. 383</p> <p>Infantum corpora moderato motu exercenda. 384</p> <p>In principe & magistratu requiri omnes virtutes. 140</p> <p>In seruo an requiratur virtus moralis. 66</p> <p>Iocus Gorgiæ Leontini Sophistæ. 131</p> <p>Iudicium quid. 225</p> <p>Iudiciorum species. 226</p> <p>Iudicia Democratica. 227</p> <p>Iudicia Oligarchica. 227</p> <p>Iudicia Aristocratica. 227</p> <p>In Oligarchia maior pœna irroganda diuiti quàm pauperi. 261</p> <p>Ius habitationis non facere aliquem ciuem. 142</p> <p>Ius talionis esse inter dissimiles. 77</p> <p>Iusta magnitudo ciuitatis. 332</p> | <p>Iuuenibus actiones bellicas demandandas. 345</p> <p style="text-align: center;">K</p> <p>Κ Τηπική quid. 39</p> <p>Κ Τηπική triplex. 41</p> <p>Καὶ φρόνησις. 241</p> <p style="text-align: center;">L</p> <p>Lacedæmoniorum magistratū in tres ordines fuisse diuisum. 113</p> <p>Lacedæmonios amasse oligarchias. 206</p> <p>Lacedæmonios mœnia & propugnacula improbasse. 355</p> <p>Lege Serui qui. 28</p> <p>Legem esse ὁμολογίαν. 33</p> <p>Leges vniuersaliter scribi. 106.</p> <p>Legum mutatio quid incommodi adferat Rebus publicis. 106.</p> <p>Legum veritas vndè pendeat. 106</p> <p>Leges quibus ferantur. 165</p> <p>Leges homine erudire. 181</p> <p>Legibus potius, quàm regi imperium concedendum. 174</p> <p>Libertatis propriæ nota. 291</p> <p>Locus in quo ciuitas ex-</p> |
|--|---|

A 5

I N D E X.

- | | |
|--|---|
| <p>eruenda, qualis esse de-
beat. 333</p> <p>Lycurgi consilium de vr-
be Spartana. 110</p> <p>Lycurgi institutum circa
liberorum procreatio-
nem. 111</p> <p>Lycurgi disciplina. 371</p> <p style="text-align: center; margin: 10px 0;">M</p> <p>M Agistratus quid. 308</p> <p>Magistratus cur ci-
uitatibus necessarij. 309</p> <p>Magistratus diuisio. 309</p> <p>Magistratum politico-
rum differentia. 311.</p> <p>Magistratus vnde habeat
sua authoritatem. 309</p> <p>Magistratuū bellicorum
differentia. 221</p> <p>Magistratus propria nota,
219</p> <p>Magistratus plures speci-
es. 219</p> <p>Magistratus alij summi a-
lij inferiores. 150</p> <p>in Magnis ciuitatibus &
Democratij seditioes
esse rariores. 206</p> <p>Magnitudo ciuitatis vnde
aestimanda. 330</p> <p>Malis hominibus non ni-
mia potestas in ciuita-
te concedenda. 156</p> <p>Maris vicinitatem non v-</p> | <p>tilem esse ciuitatibus.
335</p> <p>Maris vicinitas qua com-
moda adferat ciuitati-
bus. 336</p> <p>Mediocrum ciuium exi-
guus numerus. 207</p> <p>Mercatura quid. 58</p> <p>Mercaturæ tres species. 58</p> <p>Mercenaria locatio quid.
59</p> <p>Metum dupliciter sedi-
tionibus causam præ-
bere. 240</p> <p>Mineræ. 417</p> <p>Mixta acquisitio quid. 43</p> <p>Mitiora præcepta conser-
uandæ Tyrannidis. 274.</p> <p>Ἡ παρεῖν τὸ παρὰ μί-
κρον. 243</p> <p>Modi eligendi Iudices.
227</p> <p>Modi quibus Tyrannides
conseruentur. 273</p> <p>Modi subleuandi egesta-
tem ciuium. 303</p> <p>Moderata exercitia pluri-
mum conferre ad ro-
bur corporis. 402</p> <p>Monarchia quid. 260</p> <p>Monarchiæ species. 265</p> <p>Monarchias mutari pro-
pter <i>καταφρόνησιν</i>. 268</p> <p>Monarchias mutari pro-
pter <i>φόβον</i>. 268</p> <p>Monarchijs & oligarchijs
vtilis</p> |
|--|---|

I N D E X.

vtilis esse arces. 354
Multorum prudentiū vi-
 rorum iudicio potiùs
 standum, quàm vnius.
 176
Munitiones non omni-
 bus ciuitatibus conue-
 nire. 354
Musicam ocio & hilarita-
 ti inferuire. 394
Musica quid. 404
Musicam pellere animi
 curas. 406
Musicā iuuenili ætati præ-
 cipuè conuenire. 406
Mutata Musica mutari e-
 tiā mores ciuiū secun-
 dum Platonem. 408
Musica duplex. 412
Mutatio Reipublic. quid.
 229
Mutua ciuium cognitio
 ad quid proffit. 332

N

Natura serui qui. 28
Naturam nihil teme-
 rè facere. 30
Naturalis seruitus quid.
 28
Naualis potentia an ne-
 cessaria ciuitatibus. 337
Negligentius peragi quæ
 pluribus communiter
 sunt demandata. 80

Nemini in ciuitate statim
 magni honores conce-
 dendi. 260
Nemini concedendum vt
 legem in minima re
 mutet. 257
Nemo artem aliquā pro-
 fiteri debet, nisi probè
 eam prius didicerit. 390
Non facilè concedendū,
 vt vnus vel pauci sum-
 mos magistratus diu
 administrent. 258
Noua forma Reipublicæ
 quibus modis in ciui-
 tatem introducatur. 211
Notæ secundum quas iu-
 sta magnitudo ciuitatis
 æstimanda. 332
Nutrimētum infantum
 quale esse debeat. 384

O

Ocium cur hominibus
 concessum. 395
Ocium aliud Practicum
 aliud Theoricum. 395
Ocia dant vitia. 393
Ocio quomodo vtendum.
 396
Ocium cur repetendum.
 396
Octo ordines hominum
 in ciuitatibus reperi.
 188

Oligar.

7 N D E X.

Oligarchia quid.	148	renda bello.	373
Oligarchiæ propriæ notæ.	149	Pagus quid.	15
Oligarchiæ species.	194	Partes ciuitatis.	10
Oligarchica Sophismata.	212	Paucis optimatibus concedendum imperium.	157
Oligarchias frequenter mutari.	235	Paupertatem sæpè præbere causam seditionibus.	97
Oligarchia duplex.	304	Pauperes ad magistratum euehere periculosū.	113
Oligarchica præcepta.	304	Paufanias Rex Lacedæmoniorum.	372
Oligarchias conseruari <i>ἰστανξία.</i>	305	Pecunia ob quam causam inuenta.	51
in Oligarchijs crebriores excitari seditiones.	206	Pecunias non esse veras diuitias.	52
Olympus præstātissimus Musicus.	409	Pecunia magnarum voluptatum effectrix.	54
Optima Respublica quatuor modis dicitur.	186	Perfectum prius esse imperfecto.	21
Optimus Reipublicæ status in quo consistat.	103	Permutationem duobus modis contingere.	49
Opifices pro ciuibus habendi.	142	Permutationum tres species.	58
Origo societatum est ipsa natura.	11	Pericles.	241
Oraculum Apollinis de Spartana vrbe.	110	Phocylidis dictum.	205
<i>Ὀρεας</i> secundum quos formæ Rerumpub. æstimantur.	200	Phalææ Respublica.	95
Ortu posterius, prius esse natura.	21	Pittaci præceptum circa matrimonium.	379
		Pluribus nimiam in ciuitate potestatem concedere, periculosum.	115
		Platonem constituisse nimis magnum numerum militum in ciuitate.	91
		Plato	
P Acis virtutes quæ.	373		
Pax & ocium præfe-			

P

P Acis virtutes quæ. 373
Pax & ocium præfe-

Plato

I N D E X.

- | | |
|---|---|
| Plato bona mobilia per-
misit augeri in quadru-
plum. 93 | Potentiori jure deberi im-
perium in minus po-
tentem. 33 |
| Platonis sententia de bo-
nis immobilibus. 93 | Populo inferiores & mi-
nores magistratus con-
cedendos. 159 |
| Platonis opinio de eligen-
dis magistratibus 93 | Παιδεία πρὸς τὴν πολι-
τείαν quid. 264 |
| Platonis sententia de di-
stributione ædium 94 | Præcticum ocium quid.
396 |
| Platonicus annorum nu-
merus. 284 | Præcipua causa mutatio-
nis Rerumpub. τὸ ἄνι-
σον. 231 |
| Plato magistratus compa-
rat Canibus. 339 | Principatus quid. 32 |
| Platonis sententia de mu-
tationibus Rerumpub.
282 | Præcepta Φυλακικὰ τῶν
πολιτειῶν. 257 |
| Platonem constituisse fa-
tales annorum perio-
dos. 285 | Præcepta popularia. 292 |
| Παμβασιλεία quid. 179 | Puerorum animi sermo-
nibus & fabulis ludi-
cris oblectandi. 386 |
| Politicae obiectum. 1 | Pueris non omninò pro-
hibendi ploratus. 386 |
| Politica quid & vnde di-
cta. 1 | Pueris magis convenire in
aliorum præsentia & in
publico canere, quàm
senibus. 414 |
| Politices vocabulū duo-
bus modis usurpari. 2 | Q |
| Politicae finis. 2 | Q Vinque potissimum
in honoribus con-
ferendis spectanda. 16 |
| Politica qua methodo tra-
dita. 4 | Quatuor modi mutatio-
num Rerumpub. 232 |
| Politicorum librorū præ-
cipua capita. 4 | Quindecim de causis mu-
tari Respub. 237 |
| Politico etiam de agrorū
distributione confide-
randum. 347 | Quos |
| Politico circa coniugium
quæ consideranda. 379 | |
| Πολιτεία quid. 145 & 198 | |

7 N D E X.

- | | |
|-----------------------------|----------------------------|
| Quot serui tot hostes. 36 | Regna alia libera alia hæ- |
| Quos contempnimus ijs | reditaria esse. 270 |
| parere recusamus. 241 | Regna quibus de causis |
| Qui bonã Rempub. con- | mutentur. 270 |
| stituere vult, tria debet | Regna qua re præcipue |
| obseruare. 290 | conseruentur. 272 |
| Quod tibi non vis fieri, id | Regna hereditaria quibus |
| alteri ne feceris. 321 | de causis mutentur. 271 |
| Qui homines ad ciuilem | Regnum Molossorum & |
| societatem colendam | Lacedæmoniorum. 272 |
| maximè sint idonei. 338 | Regna & Imperia mutari |
| Qui pro veris ciuibus ha- | singulari Dei consilio. |
| bendi. 344 | 286 |

R

- R**atio & mens diui-
num quiddam. 180
- Regia gubernatio opti-
ma. 16
- Regia gubernatio quid.
148
- Regni plures species. 171
- Regnum Laconicũ quid.
171
- Regnum Barbaricum. 172
- Regnum Heroicum. 173
- Regnum plenarium. 173
- Regi potius quàm legibus
concedendum imperi-
um. 174
- Regi & legibus conceden-
dum Imperium. 175
- Rex legis corrector. 135
- Regnum an debeat esse
hæreditarium. 178
- Regi aliquod præsidium
concedendum. 178

S

- S**atius præuenire quàm
præueniri. 241
- Salubritas aeris in situ ci-
uitatis spectanda. 351
- Scientia herilis quid. 38
- Scientia seruilis. 38
- Seruus quis. 24
- Seruus instrumentum a-
nimatum. 25
- Seruus instrumentũ *πρῶτον*
κτικόν. 26
- Seruus instrumentum *λο-*
γικόν. 26
- Seruus nõ est sui Iuris. 27
- Seruis numerari in pos-
siones. 27
- Seruus instrumentum se-
parabile. 27
- Servi duplices. 27
- Seruitus legalis. 32
- Seruitus legalis an iusta.
32

Seruus

I N D E X.

<p>Servos ab homine libero specie differre. 37 Servus servo præstantior. 38 Servi virtutes quæ & qua- les. 67 Servorum conditio apud Lacedæmonios. 108 Sermo interpres mētis. 26 Senatus officium. 215 Senatus quid. 214 Senioribus quæ rectè man- dentur. 345 Sex esse civium ordines. 342 Simpliciū societatum tres esse species. 10 Situm civitatis bifariam considerari. 350 Situs civitatis optimus, qui mari & terræ com- munis. 351 Situs civitatis. 334 Sola virtus nobilitat. 35 Solonis factum. 159 Solonem cives Athenien- ses in quatuor ordines distribuiffe. 125 Sophismata Politica. 211 Summum imperium in civitate partim legibus partim hominibus con- cedendum. 54 Summum imperium non facile populo conce- dendum. 154</p>	<p style="text-align: center;">T</p> <p>Templa in locis cele- brioribus & editio- ribus extruenda. 359 Temperantia virtus pa- cis. 375 Theoricum ocium. 396 Thaletis responsum. 281 Tibiarum cantus impro- batur. 416 Tibia instrumentum ὄργανον. 417 Totius civitatis & singu- lorum civium, an ea- dem sit beatitudo. 318 Tres ordines civium in civitate reperiri. 204 Triples varietas circa modum judicandi. 228 Tyrannus quis. 148 Tyrannidis notæ. 102 Tyrannus solus cupit im- perare. 193 Tyrannos imperare in vi- tis. 266 Tyrannos clam & per in- sidias se ad imperium intrudere. 265 Tyrannos omnia pro ar- bitrio spretis legibus administrare. 266 Tyrannos suā solum que- rere utilitatem. 266 Tyrannos externis vti præfidijs. 266 Tyrannicum Imperium pluri-</p>
---	--

7 N D E X.

plurimis malis effere- fertum. 267	Virtus τῆ ἀρχοντος καὶ τῆ ἀρχομένης an eadem. 65
Tyrannum necare hone- stum. 269	Virtus serui refertur ad dominum. 68
Tyranni cur odio sint sub- ditis. 269	Virtus viri boni. 135
Tyrannides duobus mo- dis euerti. 270	Virtus ciuis boni. 135
Tyrannides an diuturnæ. 281	Virtus viri boni & ciuis boni non est eadem. 135
Tyrannus senex pro mi- raculo habetur. 281	Virtus τῆ ἀρχοντος. 139
Tyrannos dupliciter opes subditorum imminue- re. 275	Virtus subditi. 139
Tyrannica σοφίσματα. 277	Virtutes belli. 374
V	Vitiosa educatio in De- mocratijis. 264
Vicinarū ratio haben- da in constituenda aliqua ciuitate. 92	Vitiosa educatio in Oli- garchijs. 264
Vicissitudinem imperan- di & parendi non im- minuere auctoritatem magistratus. 368	Vita duplex, Theorica & Practica. 319
Vitæ genera quatuor esse. 44	Vita bellica & militaris. 320
Virtus & alimenta veræ diuitiæ. 46	Vnū minus interitui ob- noxium quàm multa. 74
Virtutes etiam duplices esse. 65	Vocabulum omnes esse ὁμῶνυμον. 75
	Vocabulū ciuis bifariam accipi. 128
	Vocabulū πολιτείας duo- bus modis intelligi. 145
	Urbes versus septentrio- nem sitas, esse salubrio- res. 351

Q V Æ.

Q V A E S T I O N E S
I N P R O L E G O M E N A P O -
L I T I C O R V M A R I S T O -
T E L I S .

Quid est ἡ Πολιτική?



POLITICA EST ARS
sen facultas rectè constituendi &
administrandi Reipub. Plato in
Erastis, ἡ πολιτικὴ ἐστὶν ἐπιστήμη,
καθ' ἣν αἱ πόλεις εὖ οἰκῶνται. Cic. lib. 1. de divin.
Politica est ratio, prudentiaq; gerenda Reipub.

Vnde dicta est ἡ Πολιτική?

Ἀπὸ τῆς πόλεως, à Ciuitate, quæ est proprium
eius Subiectum, circa quod versatur: vnde etiam
dicitur ὁ πολίτης, Ciuis, ἡ πολιτεία, h. est, ipsa for-
ma, secundum quam Ciuitas administratur: quæ
à Cicer. plerunq; Respublica nominatur: hinc e-
tiam dicuntur αἱ πολιτικαὶ πράξεις, civiles actio-
nes: item οἱ πολιτικοὶ, homines qui Reipub. admi-
nistratione rectè versantur, aut hac civili scientia
præditi sunt. Hinc est verbum πολιτεύεσθαι, h. e.
gerere vel capessere Reipub. versari in Reipub. De-
niq; hi ipsi libri inscribuntur πολιτικοὶ, qui conti-

B

nent παραγγέλματα πολιτικά, præcepta constituendi, & administrandi Rempub.

Quot modis Vocabulum τῆς πολιτικῆς usurpatur?

Vocabulum τῆς πολιτικῆς bifariam à Platone & Aristotele usurpatur: vel enim generatim κατ' ἕξοχῶν pro tota Philosophia practica accipitur, quæ omnes omnium actiones in Ciuitate gubernat: unde etiam Aristoteles eam in lib. i. Eth. cap. 2. ἀρχιτεκλονικῶν καὶ κυριωτάτῳ nominat. Et à Platone in dialogo politico definitur, quod sit ἐπισήμη ἀρχὴ σα ἀπασῶν πράξεων, καὶ ἐπιμελεμένη τῶν νόμων, καὶ ἑμπάντων τῶν κατὰ τὴν πόλιν. h. e. Scientia, quæ omnes actiones gubernat, & curam gerit legum, omniumq; eorum quæ ad ciuitatem pertinent. Vel accipitur specialiter pro tertia parte philosophiæ practicae, de qua præcipue in his libris Aristoteles agere constituit.

Quis est scopus, quis finis, & quæ utilitas huius doctrinæ?

Aristoteli propositum est in his libris tradere doctrinam de ratione benè constituendi, administrandi, amplificandi, & conseruandi ciuitatem, aut Rempub. aliquam, in eum finem, ut ciues possint inter se tranquille & amicè, h. e. benè beateq; vivere.

De hos

De hoc scopo & fine Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 9. sic scribit: τὸ γὰρ τῆς πολιτικῆς τέλει & ἄριστον ἐτίθεμεν: αὐτὴ δὲ πλείστων ὀφειλέειαν ποιεῖται, τῶν ποιῶν πινὰς καὶ ἀγαθὰς τὰς πολίτας ποιῆσαι, καὶ πρακτικὰς τῶν καλῶν. Et Cic. lib. 5. de Repub. Ut gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: Sic huic moderatori Reipub. beata civium vita proposita est: ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Quot libris Aristoteles hanc doctrinam complexus est?

Diogenes Laërtius in Catalogo scriptorum Aristotelicorum commemorat plures libros, quos Aristoteles de hoc argumento fertur scripsisse: quemadmodum etiam Cic. lib. 5. de finibus affirmat, Aristotelem omnium fere civitatum non Græcia solum, sed etiam Barbaria mores, instituta, & disciplinas descripsisse: Verum ex omnibus illis tantum hi octo libri ad nostra tempora pervenerunt. Qui etiam si videantur μείζονοι, h. e. aliquo modo decurtati, & imperfecti: tamen multiplicem & variam in se continent doctrinam, lectione & cognitione dignam, utilem atq; necessariam omnibus ijs, qui aliquando rectè & utiliter in Reipub. negocijs administrandis versari voluerint.

Qua methodo utitur Aristoteles in hac doctrina explicanda?

Quoniam Aristoteli propositum est ostendere, quo pacto civitas sine Respub. aliqua, quæ est totum quoddam, rectè sit constituenda: ideò etiam conveniente utitur ad eam rem methodo: nempe μεθόδῳ συνθετικῇ, qua ex minimis partibus tanquam primis principijs totum aliquod constituitur. Primum enim ostendit quo pacto ex singulorum hominum coniunctione extiterint familia & domus: deinde ex familiarum & domorum coniunctione effecti sint pagi, seu vici: tandem verò ex multorum pagorum seu vicorum coniunctione integræ civitates sint constitutæ.

Quot sunt præcipua κεφάλαια, capita omnium eorum, quæ in his libris explicantur?

Quinq; sunt præcipua capita, ad quæ ferè omnia, quæ in his octo libris traduntur, possunt referri. Primum caput est de materia, h. e. de partibus civitatis, ex quibus ea initio constituitur. Alterum caput est de forma civitatis, quæ πολιτεία, h. e. Respub. nominatur: ubi agitur de sex præcipuis Rerumpub. formis, earumq; differentijs, & proprietatibus. Tertium caput est περὶ τῶν αἰτίων φιλακλικῶν, καὶ φθαστικῶν, de causis, per quas civitates & Respub. vel conseruantur, vel mutantur & intereunt.

tereunt. Quartum caput est de quibusdam civi-
tatis & rebus pub. ab alijs vel descriptis, vel con-
stitatis: præcipuè verò de Repub. Platonis. Quin-
tum caput est de educatione infantum, puerorum,
& adolescentum, à tempore natiuitatis usq̄ ad an-
num vigesimum primum.

Ex his quinque capitibus facile intelliguntur ar-
gumenta singulorum librorum: de quibus etiam in
fine Ethicorum sic scribit: πρῶτον μὲν ἂν πειραθῶ-
μεν ἐπελθεῖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν
προγενεσέρων: εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν
θεωρήσαι τὰ ποῖα σώζει, καὶ φθείρει τὰς πόλεις, καὶ
τὰ ποῖα ἐκάστοις τῶν πολιτειῶν: καὶ δεῦρ' ἵνα αἰτίας
αἰ μὲν καλῶς, αἰ δὲ τὸναντίον πολιτεύονται.

Liber Primus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes
primi libri?

QUONIAM Aristoteli propositum est in
his libris ostendere, quo pacto civitas aliqua
sit & constituenda, & administranda: ideò in pri-
mo hoc libro κατὰ τὴν μέθοδον συνθελικὴν agit de
primis principijs, h. e. minimis partibus, ex quibus
initio civitates fuerunt constitutæ: simul etiam ex-
plicat questionem de origine civitatis, & civilis so-

B 3

cietatis. Potest autem hic liber commodè distribuì in duas partes: in Exordium, quod continetur duobus primis capitibus: & in ἐκθεσι, Expositionem preceptorum politicorum.

Quid agit in Exordio?

Exordium hoc continet ὀψασιν, h. e. commendationem scientiæ politicæ, & civilis societatis: quòd nimirum sit res bona: idq; probat duobus præcipuis argumentis: primum ab eius fine: quia spectat, & propositum sibi habet bonum quoddam. Deinde ab eius origine siue causa efficiente, quia originem habet à natura. Nam ut Cic. in Catone maiore ait: Omnia quæ secundum naturam sunt, ea habenda sunt in bonis. Et in lib. 1. Tuscul. Nihil censeamus esse malum: quod est aut à Dijs immortalibus constitutum, aut à natura hominibus datum.

Quid agitur in altera huius libri parte?

Post Exordium sequitur ἐκθεσις, h. e. ipsius doctrinæ politicæ enarratio, quæ per omnes libros continuatur: eorum autem quæ in hoc libro à tertio capite usq; ad finem habentur, sunt tres præcipuæ partes. Quarum prima pars est de societate domestica, quæ omnium prima fuit inter homines: atq; continet prima initia & fundamenta civilis societatis: de hac agitur in 3. & 4. capitibus: huius verò societatis sunt tres quasi species: nempe ἡ δεσπολική, Societas

societas herilis, quæ est inter dominum & seruum:
 ἢ γαμικὴν societas coniugalis, quæ est inter maritum
 & uxorem: & ἢ πατερικὴν societas paterna, quæ est
 inter parentes & liberos. Etenim ex his tribus so-
 cietatibus initio constitutæ fuerunt domus & fa-
 milia οἱ οἴκοι, vel αἱ οἰκίαι, unde etiam οἰκονομικαὶ
 nominantur: quæ cum paulatim augerentur &
 multiplicarentur, excreuerunt in pagos, & tan-
 dem in integras ciuitates.

Quæ est altera pars τῆς ἐκθέ-
 σεως?

Alter a pars huius enarrationis est περὶ τῆς κλη-
 τικῆς de ratione, & modis acquirendi victum, &
 ea quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria: sine
 quibus prædictæ societates non possent diu consiste-
 re: de hac igitur in 5. 6. & 7. capitibus.

Quæ est tertia pars τῆς ἐκθέ-
 σεως?

In tertia parte huius enarrationis, nempe in o-
 ctavo capite explicantur duæ quæstiones œconomi-
 cæ: una est de imperio mariti in uxorem, & patris
 in liberos. Altera de virtute & officio domini &
 serui, mariti & uxoris, parentum & liberorum,
 h. e. eorum, qui in domestica societate alys vel im-
 perare vel obedire debent.

Ἐπεὶ δὴ πᾶ-
σαν πόλιν
ὁρῶμεν.

Vnde auspicatur Aristoteles doctrinam Po-
liticam?

A *Questione de fine, quemadmodum etiam fe-
cit in Ethicis: quoniam ambæ hæ doctrinæ sunt
præctica, h. e. referuntur ad actionem: Finis au-
tem præcipuè in omni actione est considerandus,
quemadmodum dicitur:*

*Quicquid agis prudenter agas, & respice finem.
Nam finis informat actiones, à quo ipsæ reguntur,
& bonæ vel malæ, utiles vel inutiles esse indicantur.
Vnde etiam finis dicitur habere triplicem conside-
rationem in actionibus: nempe principij quo ad a-
gentis intentionem & susceptionem: medij quo ad
actionis gubernationem: & extremi quo ad usum
& effectiorem operis attinet.*

Quis est iste finis, quem ciuilis societas sibi
propositum habet?

*Τὸ ἀγαθόν, Bonum. Sic enim scribit Aristo-
teles: πᾶσα πόλις, καὶ πᾶσα κοινωνία ἀγαθὸν πυν-
ένεκα συνέστηκε, Omnis ciuitas, & omnis societas
boni alicuius gratia est constituta. In quibus ver-
bis Aristoteles argumentatur à Genere ad Speciem
hoc modo. Omnis societas boni alicuius gratia con-
stituitur: Ciuitas est societas. Ergo. Maiorem
probat ex definitione Boni: etenim BONVM illud
esse*

esse definitur, cuius gratia omnes omnia agunt: vel
ut in Ethicis dicitur, Bonum est id, quod omnia ap-
petunt.

Quale autem est istud Bonum?

Est omnium præstantissimum bonum, κλειώτα-
τον ἀγαθόν: non solum quia à præstantissima scien-
tia & facultate, quæ est ἡ πολιτικὴ expetitur: ve-
rùm etiam quia latissimè patet, & ad plures sese
extendit: & suo ambitu omnia reliqua humana bo-
na complectitur: teste Aristotele lib. 1. Ethicorum
cap. 2. ubi etiam τὸ τῆς πόλεως ἀγαθόν dicit esse
μείζον, καὶ τελειότερον, ἐπι δὲ κάλλιον, καὶ θεϊότερον.

μάλιστα δὲ
καὶ τῆς κυρι-
ωτάτης.

In qua autem re Bonum istud consistit?

In ratione benè beateq; viuendi, ἐν τῷ ἔν, κα-
λῶς ζῆν, quæ ab Aristotele τῆς πόλεως εὐδαιμονία
καὶ ἀνιάρχεια nominatur, h. e. beatitudo ciuitatis,
& sufficiens copia omnium eorum quæ ad vitam ho-
nestè degendam sunt necessaria. Sic Apostolus Pau-
lus in priore epistola ad Timot. cap. 2. præcipit Chri-
stianos ideò debere pro regibus, principibus, & ma-
gistratibus orare: ut placidam & quietam vitam
degere possint, cum omni pietate, & honestate.

Quæ sunt partes ex quibus ciuitates initidò fue-
runt constitutæ?

Partes ex quibus ciuitas, seu civilis societas con-

Εἰ δὲ πε-
ρὶ ἀρχῆς
τὰ πραγ-
ματικά

B V

stituitur, alia sunt Simples, & prima: alia Composita & secundaria.

Quæ sunt Simples & primæ societates?

Eæ quæ primò inter singulos homines necessitatis causa ad constituendam domum sive familiam fuerunt susceptæ, quæ etiam propterea οἰκονομικῶν nominantur. Harum sunt tres species: una dicitur δεσποικὴ herilis, quæ est inter dominum & servum: altera est γαμικὴ coniugalis, quæ est inter marem & fœminam, seu maritum & uxorem: tertia nominatur πατερικὴ paterna, quæ est inter parentes & liberos.

Quomodo sunt hæ tres species inter se distinctæ?

Aristoteles distinguit has tres societates sine. Nam duæ primæ societates constitutæ sunt ἐνεκα τῆς γενέσεως, h. e. causa procreationis hominum, & propagationis familiarũ. Tertia verò societas est διὰ τὴν Κοινωνίαν, h. e. propter mutuam salutem & conservationem utrorumq̃, domini scilicet & servi: sicut enim dominus sua prudentia prospicit servo de victu, & amictu, reliquisq̃ vitæ sustentandæ subsidijs: ita servus suis laboribus acquirit domino ea quæ ad alendam familiam & augendam rem domesticam sunt necessaria: ἐνεκα τῆς κτήσεως τῶν πρὸς τὸν βίον, καὶ τὴν οἰκονομίαν ἀναγκαίων.

Quæ

Quæ sunt Coniunctæ & secundariae
societates?

Coniunctæ seu compositæ societates dicuntur, quæ ex primis societatibus defluerunt, & ex pluribus constant hominibus. Harum sunt tres species, domus, pagus, & civitas: quæ differunt ut totum & partes. Nam civitas est totum, domus & pagus sunt partes, ex quibus civitas constituitur.

Quot hinc existunt societatum species?

Tres: quarum una dicitur οἰκονομικὴν domestica, quæ est unius alicuius domus seu familia: altera κομμικὴν pagana, quæ est plurium domorum & familiarum coniunctarum: tertia πολιτικὴν civilis, quæ ex multis domibus & pagis in eodem loco extructis, est conflata.

Quæ est origo, & causa efficiens prædictarum societatum?

Omnes hæ societates primam originem, & quasi causam efficientem habent τὴν φύσιν, id est, naturam.

Quo pacto istud probas de societate
maris & fœminæ?

Primum de societate mariti & uxoris, parentum & liberorum, quæ generationis, & propagandæ atq; educandæ sobolis gratia instituta est, quod
ea sit

ea sit natura maxime conueniens, apparet ex tribus signis, primum ex appetitu procreandi sibi simile, qui non solum hominibus, sed etiam omnibus animalibus naturaliter insitus est. Deinde ex amore qui naturaliter inest non solum hominibus, sed etiam omnibus animalibus, ut generans & generatum, parentes & liberi sese mutuo ament: quem amorem seu affectum naturalem Graeci $\sigma\sigma\gamma\lambda\omega$ solent appellare. Tertio, ex natura necessitate. Nam quia natura expetit sui conservationem, individua autem quotidie unum post alterum vel morbo, vel senio, vel vi intereunt & corrumpuntur: ideo per istam societatem, qua unumquodque secundum speciem sibi simile generat, & post se aliud individuum relinquit, efficitur, ut species ipsa conseruentur, & efficiantur quodammodo perpetuae & immortales.

Quomodo probas societatem domini & serui esse secundum naturam?

Ex loco adiunctorum. Quia natura utriusque tribuit ea adiumenta, per quae possunt ac debent sibi mutuo opitulari ac prodesse: ita ut venter sine alterius opera commode non possit vivere, & seipsum sustentare. Domino enim tribuit talem mentem, rationem, & prudentiam, qua possit non sibi solum, verum etiam seruo prospicere & consulere ea, quae ei ad vitam sustentandam sunt utilia et necessaria.

Seruo

Servo autem tribuit tale corpus, & eiusmodi robur corporis, quo possit labores perferre, et domini mandata atq; negocia expedire. Proinde quia dominus naturaliter ingenio & consilio excellit, robore autem & viribus corporis servo est inferior: ideo opus habet servo tanquam administro: Et rursus, quia servus ingenio minus valet, ut possit sibi ipsi prospicere & consulere: ideo opus habet domino veluti consiliario. Atq; hoc modo utriq; parti, & domino & servo naturaliter utilis & necessaria est hæc coniunctio atq; societas. Unde merito dolet dominus, quando amittit fidum servum: & servus quando amittit benignum dominum. Est ergo huius loci argumentum tale. Quæ societas utriq; parti naturaliter prodest, ea est secundum naturam. Sed societas quæ est inter dominum & servum, naturaliter utriq; prodest. Ergo.

Quomodo probas societatem civilem
esse à natura?

Quoniam homo τῆ φύσει ἐστὶ ζῷον κοινωνικὸν καὶ πολιτικὸν, hoc est, animal aptum ad congregationem & civilem societatem factum, magis quam ullum aliud animal eorum quæ simul vivunt & pascuntur, veluti sunt apes, formicæ, grues, columbæ, & similia animalia, quæ propterea à Græcis ἀγέλαια nominantur, quia, ut Cic. lib. 2. de Finibus loquitur, congregatione cæterum quodammodo civitatis

tatis

tatis imitantur. Atq; ob hanc causam etiam Iurisperiti dicunt urbium constitutiones esse iuris gentium.

Ἐκ μὲν ἔν
τέτων τῶν
δύο κοινωνιῶν.

Quæ est causa formalis harum societatum?

Forma harum societatum ex earum definitionibus intelligitur. Nam DOMVS est societas hominum naturalis ad quotidianum vitæ usum constituta. οἶκος ἔστι κοινωνία κατὰ φύσιν, εἰς πᾶσαν ἡμέραν Συνεσκηψα.

Quare domus dicitur κοινωνία, Communio seu societas?

Quia domestici multa habent communia, nempe locum, & domum quam inhabitant, tectum sub quo cubant: Focum, ignem, & furnum apud quem se calefaciunt: Mensam in qua cibum capiunt: Fontem vel puteum unde aquam ad potum hauriunt: Unde etiam apud Grecos extiterunt istæ appellationes, quod nominantur Σύνοικοι, ὁμοῦστοι, ὁμόκαπνοι, ὁμοσίπιοι, ὁμοσίπυοι, ὁμογάλακτες, qui ab Ulpiano collectanei dicuntur.

Quare domus dicitur esse constituta in usum diurnum seu quotidianum?

Respectu civilis societatis: quæ non propter unius, aut alterius solum hominis, aut exigui temporis usum constituitur: sed quæ totius alicuius civitatis, vel etiam regni, & nationis commune & perpetuum

tuum

bonum respicit: quemadmodum scribit Aristoteles in lib. 8. Eth. cap. 9. ἡ γὰρ τῆ παροῦτος Κυρφοῦτος ἢ πολιτικὴ μόνον ἐφίεται, ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν βίον. Quo nomine etiam bonum politicum prestantius esse dicitur bono œconomico, in lib. 1. Eth. cap. 2.

Quid est Pagus?

Pagus est prima communio seu societas naturalis ex pluribus domibus non quotidiani solum usus gratia constituta. ἢ κώμη ὅτιν ἐκ πλείονων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη κατὰ φύσιν χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρη Συνεσηκῆα.

Quare Pagus dicitur esse prima societas?

Ad differentiam civitatis, quæ est altera communio seu coniunctio plurium domorum: Est enim pagus quasi ἀποικία colonia quedam, per quam una domus rursus in plures domos est diducta, & propagata: unde apud Euripidem in Oreste, filie quæ nuptum collocantur, dicuntur ἀποικίζεσθαι, id est, ex una domo in alteram transferri.

Quare in definitione adijcitur hæc particula

χρήσεως μὴ ἐφημέρη?

Ad differentiam domus seu domesticæ societatis, in qua domestici quotidie simul & unâ conversantur, laborant, victum quærunt, cibum capiunt, eodem foco & igni utuntur, colloquuntur, & operas suas,

suas, aliaq₃ negocia inter se mutuò singulis ferè horis communicant.

Quare dicitur esse societas secundum naturam?

Quia proficiscitur ex societatibus quæ sunt à natura, ut est societas mariti & uxoris, domini & servi, parentum & liberorum: de quibus paulò antè dictum fuit.

In domestica societate qualis est forma gubernationis?

Regia. Nam quod est Rex in regno, id est paterfamiliàs & dominus in sua domo: Et quemadmodum paterfamiliàs imperat suis domesticis: ita in pagana societate is qui ætate, prudentia, & auctoritate cæteris præstat: etiam potestatem habet illis imperandi. quem hodiè barbaro vocabulo Scultetum solent nominare.

Hinc apparet Regiam gubernationis formam esse antiquissimam, & per consequens etiam optimam: si modo Rex talis sit virtute, prudentia, & auctoritate, qualis meritò esse debet.

C A P V T II.

Quomodo definitur Civitas?

Ἡ δὲ ἐν
πλειόνων
καμῶν.

Civitas est perfecta societas seu communio secundum naturam ex pluribus pagis constans, omnibusq₃ rebus ad vitam necessarijs instructa:

non

non solum vivendi, sed etiam bene vivendi causa constituta. ἡ πόλις ὅτι κοινωνία ἐκ πλειόνων κωμῶν τέλειος καὶ ἀ φύσιν, ἔχουσα πέραι τῆς αὐταρκείας: γνωμένη μὲν τῷ ζῆν ἕνεκα, ὅσα δὲ τῷ εὖ ζῆν.

Definitionis explicatio.

GENVS in hac definitione est idem cum duabus precedentibus speciebus, nempe ἡ κοινωνία communio. Qui enim eiusdem civitatis sunt incole, multa habent communia, nempe locum ipsum civitatis, regionem circa civitatem, templa, fora, palatia, curiam, mœnia, aggeres, fossas, propugnacula, magistratum, iura, leges, libertatem, religionem & plurima alia commoda.

DIFFERENTIÆ sunt quatuor, prima est cause materialis: Nam constat civitas ex pluribus pagis, quemadmodum pagus ex pluribus domibus.

Altera differentia est cause formalis, seu qualitatis, in qua dicitur quod sit perfecta communio: habet enim omnium rerum ad vitam necessariorum αὐταρκείαν, id est, sufficientiam.

Tertia differentia est cause efficientis, dicitur enim quod etiam sit καὶ ἀ φύσιν: hanc differentiam postea fusius explicat.

Quarta differentia pertinet ad causam finalem. quarum duas ponit, unam generalem, τῷ ζῆν ἕνεκα vivendi gratia: ut nimirum homines per hanc se-

cietatem ea quæ sunt necessaria ad vitam, possint sibi mutuò communicare: ita ut quod quis per se non habet, id possit ab altero accipere: quam indigentiam $\chiείαν$ Aristoteles in lib. 5. Eth. dicit primam fuisse causam propter quam homines initio permoti fuerunt, ut inter se societatem facerent. Altera causa finalis est magis specialis, τὸ εὖ ζῆν ἔνεκα, bene beateq̄, hoc est, honestè & ex virtute vivendi gratia: quam vitam infra in septimo libro nominat εὐδαιμονίαν τῆς πόλεως, beatitudinem & felicitatem civitatis.

NOTA. Hic finis de quo loquitur Aristoteles est politicus, & philosophicus: Est verò adhuc alius finis magis principalis, & Theologicus: nempe institutio, propagatio, & conservatio vere religionis, & divini cultus: de quo sine extat præclarum distichon poëtæ Stigelij:

Vtq̄; alios alij de Relligione docerent:
Contiguas pietas iussit habere domos.

Διὸ πάντων
πόλις φύ-
σει ἐστὶ.

Quibus argumentis probat Aristoteles originem
seu causam efficientem civitatis esse
à natura?

Tribus, quorum primum sumitur ex loco totius
& partium. Cuius partes sunt τῆ φύσει, id est, secundum naturam, id ipsum quoq̄ est τῆ φύσει. Sed partes civitatis, nempe domus, & pagus sunt τῆ φύ-
σει:

σει:

dei: sicut supra est ostensum. Ergo etiam ipsa civitas est τῆ φύσει, ἢ καὶ ἀ τὴν φύσιν.

Quod est alterum argumentum?

Τέλος γάρ
αὕτη ἐκεί-

Alterum argumentum sumitur à proprietate rerum naturalium. Quae perfecta sunt & finem suum assecuta: ea maxime sunt secundum naturam. Quia natura in generando tendit ad finem & perfectionem: neq; quicquam relinquit imperfectum, nisi impediatur. Sed civitas est finis, & perfectio primarum societatum, domestica scilicet & pagana: continet enim in se τὴν αὐτάρκειαν, quemadmodum in eius definitione dictum est. Ergo civitas maxime est secundum naturam.

Quod est tertium argumentum?

Ἐπὶ τὸ
ἐκεί;

Tertium argumentum sumitur à naturali appetitu hominum. Ea quae homines naturali instinctu expetunt, etiam sunt secundum naturam. Sed homines naturali instinctu expetunt civilem societatem, hoc est, civitatem. Vnde etiam homo dicitur esse τῆ φύσει ζῶον πολιτικόν. Ergo civitas est secundum naturam.

Quomodo probas minorem propositionem, quòd homo naturâ sit animal politicum, id est, amans civilis societatis?

Aristoteles duobus argumentis hoc probat. Primum à contrario. Nam qui non naturaliter

amans est civilis societatis: is revera neq̄, homo simpliciter, neq̄, pars civitatis dici potest: sed est aut præstantior homine, tanquam DEUS aliquis, aut deterior homine, & instar beluæ alicuius, quæ solitudinem amat: cuiusmodi sunt inter quadrupeda leones, tigrides, ursi, apri, lupi, &c. inter volucres, aquilæ, accipitres, vultures, harpyiæ, & aliæ similes quæ ex rapto vivunt. Talis propterea nominatur apud Græcos ἀπολις, hoc est, carens civitate: item à Nestore apud Homer. lib. 9. Iliad. appellatur ἀφρητός, sine tribu, ἀδέμῖσος, sine iure & legibus, ἀνέστιος, sine foco & penatibus.

Quod est alterum argumentum, quo Aristoteles probat, quòd homo naturá sit animal politicum?

Alterum argumentum sumitur à proprio hominis, hoc est, à sermone: qui præcipuè in hunc usum hominibus datus est, ut possint animi sui sensa sibi mutuo indicare, & explicare, quid bonum, vel malum: quid honestum, vel turpe: quid expetendum, vel fugiendum in vita sit: & sic inter se societatem constituere atq̄, conservare: quod nisi esset, videretur sermo homini frustra à natura esse tributus. Unde à Cic. in lib. 1. de leg. inquit: Sermo dicitur esse interpretis mentis. De qua re idem eleganter 1. Offic. sic scribit: vinculum communitatis, & societatis humane est Ratio, & Oratio: quæ docendo, discendo, com-

do, communicando, disceptando, iudicando, conciliat inter se homines, coniungitq₃ naturali quaedam societate: neq₃ ulla alia re longius absumus à natura ferarum, quæ sunt rationis, & orationis expertes.

Cùm autem civitas constet ex pluribus domibus & pagis tanquam partibus: quare Aristoteles dicit civitatem esse priorem domo?

Καὶ πρό-
τερον δὴ τῆ
φύσει πό-
λις.

Aristoteles non dicit civitatem simpliciter esse priorem domo, sed adijcit particulam τῆ φύσει, hoc est, natura, seu intentione nature, & ipsa dignitate atq₃ præstantia. Siquidem omne totum ratione sui finis, & perfectionis prius & præstantius est nature ordine, quàm sint eius partes: licet, quo ad compositionem attinet, sit posterius suis partibus. Etenim sublato toto, omnes quoq₃ partes simul intereunt, & nomen suum unà cum facultate, quam habebant ad proprium suū munus perficiendum, amittunt. Hinc Aristoteles in lib. 1. de Cœlo scribit, perfectum prius est imperfecto τῆ φύσει. Et lib. 8. Phys. & 1. Metaphys. Quod ortu posterius est, id naturâ est prius.

Quid ex ijs, quæ hætenus de civitatis initijs dicta fuerunt, Aristoteles infert?

ὁ δὲ μεγί-
στος συνη-
σας μεγί-
στων ἀγα-
θῶν.

Eos qui initio civitates constituerunt, maximorum bonorum authores generi humano fuisse. Ra-

tio sumitur ex loco effectorum per ἀντίθεσιν contrariorum. Nam quemadmodum homo per hanc societatem politicam, quæ legibus & iure regitur & continetur, quodammodo perficitur: & optimum atq; præstantissimum omnium animalium efficitur: ita si est extra hanc societatem sine legibus & iusticia, efficitur pessimum omnium animalium. Rationis approbatio sumitur à vi et natura iniusticia. Etenim iniusticia, hoc est, iniustus, malus & improbus, si armis sit instructus, pessimus est, & magis noxius quàm quævis ferocissima bellua, quem admodum etiam in lib. 7. Eth. cap. 6. scribitur. Et in proverbio dici solet, quòd homo homini sit lupus. Hæc autem ferocitas quæ naturaliter plerisq; hominibus inest, per arma iusticia, hoc est, per leges & iudicia politica est coercenda & corrigenda. Propter quam causam etiam homines civitates extruxerunt, & mœnibus cinxerunt: non solum ut tuti essent à bestiarum incurSIONIBUS: verum etiam ut ipsi sese mutuò contrà malorum iniurias & vim possent defendere.

CAPVT III.

Ἐπει δὲ
ῥαυεγόν.

Haftenus habuimus Exordium horum librorum, quid iam sequitur?

I Psa ἔκθεσις enarratio & explicatio doctrine politicae.

Vade

Vnde auspicatur Aristoteles istam ἐκθεσιν?

A prima specie domesticae societatis, quae δεσποτική, id est, herilis nominatur: est enim inter herum sive dominum, & servum.

Quare ab hac societate initium facit?

Quia ratio methodi compositoriae id postulat. Nam quoniam ei propositum est praecepta tradere, quo pacto ipsum totum, hoc est, civitas sit constituenda: ideo necessario à primis & simplicissimis eius partibus initium facit: haec autem in domestica societate continentur.

Quae sunt huius societatis prima fundamenta, & simplicissimae partes?

Dua, nempe ipsi homines qui hanc societatem constituunt: Deinde αἰκτήσεις opes & facultates, quae sunt instrumenta & causa, sine quibus haec societas neq̄ rectè constitui, neq̄ diu conservari potest. Eodem modo etiam Aristoteles lib. 1. Oecon. scribit: μέγν τῆς οἰκίας δύο, ἄνθρωπος, καὶ κτήσις.

Circa homines quae sunt consideranda?

Duo. Primum: Quinam sint illi homines, ex quibus haec societas constituitur. Deinde, quibus virtutibus praediti esse debeant, si velint in oeconomia administranda rectè suo officio fungi. De qua re infra in postremo cap. agitur.

C 4

Circa τὰς κτήσεις, hoc est, possessiones & opes
quid præcipuè considerandum est?

Duo. Primum ἡ κτήσις ratio & modus acqui-
rendi: de quo infra in quinto capite. Deinde ἡ χη-
σις, ratio acquisitis recte utendi: de qua infra cap.
septimo.

Πρῶτα δὲ
καὶ ἐλάττω-
στα μέτρα.

Qui sunt igitur illi homines, qui societatem
domesticam constituunt?

Mas, & fœmina: sive vir, & mulier: hæ au-
tem personæ considerantur vel respectu dominij &
imperij, quod habent, & nominantur dominus, &
servus: vel respectu coniugij, ut est maritus, & u-
xor: vel respectu procreationis & propagationis fa-
milie: ut sunt parentes, & liberi. Atq; hinc existit
triplex societas in œconomia: una δεσποτική, heri-
lis, quæ est inter dominum, & servum: altera γαμι-
κή, coniugalis, quæ est inter maritum, & uxorem:
tertia πατρική, paterna, quæ est inter parentes &
liberos.

Quis dicitur dominus, vel servus?

Hæ duæ personæ sunt in numero relativorum:
itaq; simul considerantur, & se mutuò explicant.
Proinde, dominus dicitur is qui habet servum: &
servus dicitur is qui habet dominum. Est ergò do-
minus persona domestica, idonea ad imperandum
servo. Servus autem est persona domestica idonea
ad exe-

ad exequenda mandata sui domini. Velut Iuris-
 consulti definiunt, Servus est, qui sui iuris non est,
 sed alterius dominio est subiectus.

Aristoteles quomodo in hoc loco defi-
 nit servum?

Servus est instrumentū sui domini animatum,
 ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, na-
 turâ quidem in eius potestate existens, sed tamen
 ab eodem separatum. Ἐξ λόγου ὅτιν ὄργανον τῷ δεσπότῃ
 ἐμφυλον, λογικόν, τεχνικόν, τῇ φύσει μὲν κλητὸν, ἀλ-
 λά χωριστὸν.

Quare servus dicitur esse ὄργανον instru-
 mentum?

Primum, quia quemadmodum in omnibus ar-
 tibus, in quibus aliquid vel agendum, vel efficien-
 dum est, quod ad certum aliquem finem & usum
 est destinatum, necessaria sunt quedam instrumen-
 ta, quibus in agendo, vel efficiendo opere utimur:
 ita etiam in arte domestica dominus seu paterfami-
 lias utitur operâ & ministerio servi tanquam in-
 strumento ad negocia domestica expedienda. De-
 inde quoniam cum opes & possessiones sint instru-
 menta administranda rei familiaris, servi autem
 etiam numerentur inter possessiones: igitur merito
 quoque dicuntur esse instrumenta.

Quare dicitur instrumentum animatum?

Quia duplicia sunt instrumenta, quibus homi-

nes in laboribus & operibus suis perficiendis utuntur. Quaedam enim sunt animata, quæ vita, sensu & motu prædita sunt, ac seipsa, dum illis utimur, mouere possunt: ut sunt serui, boves, equi, asini, & similia iumenta. Quaedam verò sunt inanimata, quæ per se nec moventur, nec quicquã agere possunt, sed necesse habent ut ab alio moveantur. Veluti sunt, aratrum, ligo, malleus, serra, securis, culter, calamus, &c.

Cur dicitur esse instrumentum $\pi\rho\alpha\kappa\lambda\iota\kappa\acute{o}\nu$?

Hac differentia serui domestici separantur à ministris opificum, qui propriè sunt $\delta\epsilon\gamma\alpha\nu\alpha\ \pi\omicron\iota\eta\lambda\iota\kappa\acute{o}$, quorum ministerio in operibus efficiendis uti solent: ut sator in efficiendo calceo, figulus in formanda olla, pisttor in pinsendo pane &c. Serui autem domestici inserviunt usui vitæ quotidianæ, in administranda re familiari.

Cur dicitur esse instrumentum $\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\acute{o}\nu$,
rationale?

Quia servus non minus est homo, quàm ipse dominus: ideoq; etiam ratione præditus, per quam potest heri sui mandata intelligere, in memoria retinere, & rectè expedire.

Cur dicitur esse instrumentum $\kappa\lambda\eta\tau\acute{o}\nu$, quod à
suo domino possidetur?

Primum quia servus non est sui iuris, sed alterius
rins

rius dominio est subiectus: ut Iuriscons. eum definiunt. Est enim totus in potestate sui domini. Deinde quia servi etiam numerantur inter τὰ κτήματα, possessiones, quæ sunt in potestate possidentis: quemadmodum infra cap. 5. ait, ὁ δούλος μέγος τῶν ἐκ τῆς κτήσεως. Unde olim licebat servos vendere & emere non minus, quam reliqua iumenta & pecora. per quam venditionem & emptionem transibant in alterius dominium & possessionem.

Cur dicitur esse instrumentum χεῖρσον, separabile?

Ad differentiam membrorum corporis, & reliquorum instrumentorum: quæ resecta à suo corpore, aut remota à suo magistro vel opifice, qui ea movere & regere solebat, nihil amplius per se possunt agere, aut efficere. Servus verò postquam mandatum à domino accepit, potest etiam absente & remoto domino laborare, & negocia sibi commissæ expedire.

Cur dicis servum τῆ φύσει, hoc est, iure naturali esse sub domini sui potestate?

Quia duplices sunt servi: Alij τῆ φύσει καὶ ἀπλῶς, naturâ & simpliciter: alij τῶ νόμῳ, hoc est, lege & secundum quid. Unde etiam duplex dicitur esse servitus, una naturalis, altera (legitima) legalis.

Qui

Qui dicuntur esse naturâ servi?

Naturâ servi sunt, qui propter rationis, & ingenij imbecillitatem neq̄ sibiipsis ea quæ utilia sunt prospicere, neq̄ etiam seipsos, aut alios rectè regere possunt: eo verò corporis robore & viribus præditi sunt, ut & labores perferre, & aliorum mandata exequi possint. Qui hoc modo servi sunt, à serviendo sunt dicti: & sunt revera ubiq̄ & semper servi: atq̄ his utilis est servitus.

Qui dicuntur lege servi?

Lege servi sunt: Qui vel in bello capti, vel propter certas causas aliorum potestati sunt subiecti: ad quorum nutum & arbitrium vivere, seseq̄ accommodare coguntur.

Quam hinc colligis divisionem?

Ex his colligitur duplex servitus, una naturalis, altera legalis.

Quid est servitus naturalis?

Servitus naturalis est subiectio, qua quis alterius consilio & arbitrio volens, cum suo commodo regitur.

πότερον
ἔστι τις φύ-
σις.

Quibus argumentis probat Aristoteles aliquos esse natura servos?

Quatuor, quorum primum sumitur ex loco adiacentiorum. Quicquid necessarium & utile est generi

neri

neri humano in vita quotidiana, illud est secundum naturam: Quoniam natura in omnibus rebus producendis hac duo potissimum spectat, utilitatem scilicet & necessitatem. Sed ut inter homines aliqui sint domini, aliqui servi, utrinq; est utile & necessarium: quemadmodum in precedente capite fuit monstratum. Ergo quod aliqui sunt domini, aliqui verò servi, id est secundum naturam.

Quod est alterum argumentum?

Καὶ τοῦτο
ἐν γενέσει.

Alterum argumentum sumitur à diversitate animorum & ingeniorū, quæ à natura hominibus sunt tributa: quorum aliqui ea valent prudentia, & ingenij dexteritate, ut benè & utiliter possint non solum sibiipsis, sed etiam alijs consulere & præesse: Ea quoq; animi magnitudine sunt præditi, ut non facile possint aliorum imperium ferre. Contrà sunt aliqui ita naturâ comparati: ut licet non possint propter ingenij imbecillitatem ea quæ recta & utilia sunt ex seipsis perspicere & intelligere: tamen facile patiuntur se ab alijs regi & doceri. Proinde quemadmodum illis propter præclaras animi & ingenij dotes, quas à natura acceperunt, videtur iure dominium esse concedendum: ita etiam hi propter naturæ defectum videntur iure illis debere esse subiecti. Qua de causa etiam illi naturâ liberi, hi verò naturâ servi possunt nominari.

Quod

Ὅτι γὰρ
ἐν πλειό-
νων.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur à diversa constitutione & habitu corporum. Quibus natura tribuit corpora apta vel ad dominandum, vel ad seruiendum: hi etiam naturâ domini, vel serui possunt nominari. Natura enim nihil temere aut frustra facit: sed omnia ad certum finem destinat. Sed natura quibusdam hominibus tribuit corpora apta ad dominandum, aliquibus verò apta ad seruiendum: Ergo homines aliqui naturâ sunt domini, aliqui autem natura serui. Minor, confirmatur primum ab experientia quotidiana: videmus enim naturam aliquibus hominibus tribuisse corpora robusta, crassa, dura, callosa, & quasi compacta & depressa laboribus perferendis, & oneribus gestandis aptissima. Alijs verò corpora dedisse erecta quidem & speciosa, veruntamen tenera, mollia & imbecilla, ad perferendos labores minus apta. Deinde à communi hominum iudicio & consensu: qui omnes ita iudicant, eos qui alijs imperare & dominari volunt, debere etiam forma & prestantia corporis ceteris antecellere: Quemadmodum Homerus commendat Agamemnonem, Achillem, Hectorem, Vlyssen, & alios Heroas atq; Græcorum Proceres. Et Virgilius de Aenea scribit:

Quem sese ore ferens, quàm forti pectore,
& armis.

Tertio

Tertiò ex fabulis poëtarum, qui fingunt Deos aliquando in terris humanâ formâ ambulasse, & habuisse venustissima, & procera corpora: sicut eorum statue, pictura & simulachra, quæ in templis collocata fuerunt, testantur.

Quod est quartum argumentum?

Quartum argumentum sumitur ab Exemplis similibus omnium eorum, quæ ex diversis partibus sunt composita, in quibus semper apparet pars aliqua quæ eminent, & quodammodo cæteras partes regit atq; gubernat. Exempli gratia: Corpus celeste ex pluribus spheris & stellis est compositum, quæ singulæ habent suum certum motum: sed tamen primum mobile omnes reliquas spheras secum rapit. Sic inter omnes stellas & planetas Sol obtinet principatum. Homo constat ex animo & corpore: Animo autem potius debetur dominium, quam corpori. Animi plures sunt potentia, inter quas principem locum meritò habet Ratio. De hac re Cic. in lib. 2. de natura Deorum sic scribit: Omnem naturam quæ non simplex, sed cum alio coniuncta & connexa est, necesse est habere aliquem in se principatum: ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde orientur rerum appetitus: in arborum autem & earum rerum, quæ gignuntur è terra, radicibus, inesse principatus putatur. Prin-

cipatum

Βούληται

μὴ ἐν ἡ

φύσει.

cipatum autem id dico, quo nihil in quoq; genere
nec potest, nec debet esse præstantius.

C A P V T I V.

Quæ est altera species servitutis?

Ὅτι δὲ καὶ
οἱ γὰρ ἀν-
τιὰ.

Altera species servitutis dicitur δαλεία νομικὸς
vel νομικὴ servitus legalis, sic dicta, quia τῷ
νόμῳ, hoc est, lege, consuetudine, & instituto homi-
num est introducta & recepta.

Quid est servitus legalis?

Servitus legalis à Justin. lib. 1. Instit. cap. 3. sic
definitur. Servitus est Iuris gentium constitutio,
qua contra naturam aliquis alieno dominio subijci-
tur. Velut alij definiunt, Servitus legalis est, qua
aliquis iure belli, unà cum suis facultatibus pote-
stati victoris subijcitur. Qui hoc modo servi sunt,
revera non sunt servi, sed tantum à servando ita
sunt dicti: quia cum ab hoste potuissent occidi, ser-
vati sunt ad vitam.

Τὴν δὲ τὸ
δικαίον.

Est ne talis servitus justa?

Hæc quæstio ab Aristotele in utramq; partem
disputatur. Ac primùm pro parte affirmativa tria
adferuntur argumenta, quòd hæc servitus videat-
ur esse iusta. Quorum primum sumitur à causa
efficiente. Quod virtute est acquisitum, eius posses-
sio est iusta. Sed servitus legalis, qua quis alterius
dominio

dominio iure belli subijcitur, virtute, hoc est, fortitudine victoris est acquisita. Ergò servitus hac est iusta.

Alterum argumentum sumitur ex loco comparatorum. Qui potentior est, ei iure imperium debetur in minus potentem. Quemadmodum Legati Atheniensium apud Thucydidem in lib. 1. testantur dicentes: Semper iustum habitum fuit, ut imbecilliores à potentioribus coërcerentur. Et Salomon proverb. 12. cap. Manus fortium dominabitur: ignavorum autem tributis serviet. Sed qui victores sunt in bello, y potentiores sunt victis. Ergò victoribus iure debetur imperium in victos: & per consequens, si eorum dominium est iustum, etiam Servitus bello acquisita erit iusta.

Tertium argumentum sumitur ex loco Adiutorum. Quod legibus est constitutum, & usu receptum, id est, iustum: Nam lex nihil aliud est, quàm ius scriptum. Vel ut hoc loco habetur: Lex est ὁμολογία, id est, consensus, seu pactum. Et Cic. legem naturæ nominat consensum omnium hominum. Sed bellica Servitus legibus est comprobata: Ergò bellica servitus est iusta. Minor probatur ex lib. 2. Instit. tit. 1. paragr. 12. ubi sic scribitur: Ea quæ ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt: adeò quidem, ut & liberi homines in servitatem nostram deducantur.

D

Quomodo probatur, quòd hæc servitus
non fit iusta?

Duobus argumentis: quorum primum sumitur à causa efficiente. Dominium quod per solam vim est acquisitum, id non est iustum. Ratio, quia verum dominium niti debet benevolentia & voluntate eorum, qui se ultrò propriae suae salutis & utilitatis causa alijs subiecerunt. Sed dominium quod bello est acquisitum, est violentum. Nam in bello omnia vi & armis geruntur. Ergò tale dominium non est iustum: & per consequens etiam servitus bellica non est iusta.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ex repugnantibus. Quia in servitute bellica multa sæpè contingunt, quae iusticia & equitati repugnant. Etenim si fieri potest, ut in bello ab hostibus barbaris, agrestibus, & sceleratis capiantur viri illustres, generosi, nobiles, virtutibus, eruditione & alijs animi dotibus excellentes: quos profectò iniquum esset, & à ratione alienum, cogere, ut barbaris illis & impijs hostibus, à quibus victi sunt, servirent. Huc accedit, quòd sæpenumerò bella non propter iustas causas suscipiuntur & geruntur: in talibus autem bellis etiam si hostes existunt victores, tamen eorum victoria non est iusta: imò si belli causa non est iusta, etiam

etiam omnia quæ in eo ab hoste occupantur, iniuste possidentur. Proinde etiam talis servitus, quæ hoc modo est acquisita, non poterit dici esse iusta.

Si igitur non omnes ij qui videntur esse servi, sunt re vera servi: quæ est vera nota, secundum quam libertas, aut servitus debent æstimari?

Καὶ τοὶ ὄ-
ταν τὸ
λέγασιν.

Quemadmodum sola virtus revera potest hominem nobilitare, & clarum reddere: vitia autem eundem deformant & obscurum reddunt. Ita eadem hæc duo, nempe virtus & vitium sunt vera libertatis & servitutis propria nota: ita ut is in quo virtus inest, verè & rectè possit dici liber, ubicunq; sit: etiamsi quo ad externam vitæ conditionem videatur esse captivus servus. Rursum verò qui vitis est contaminatus, is re vera est servus, etiamsi secundum externam faciem videatur esse liber, & magnus dominus.

Quod facit hoc loco Aristoteles discrimen inter eos qui natura, & qui lege sunt servi?

Διὸ καὶ συ-
φίρον ἐστὶ
π.

Qui natura sunt servi, hi verè & ἀπλῶς, simpliciter semper & ubiq; sunt servi: eorum quoq; servitus est aliquo modo voluntaria, & tam ipsis quàm eorum dominis utilis: unde etiam utrinq; inter eos potest esse mutuus amor, & vera amicitia. Qui autem lege sunt servi, hi non verè & simpliciter neq; semper & ubiq; sunt servi: sed solum κατὰ π

secundum quid, & aliquo respectu dicuntur servi: eorum quoque servitus est violenta, & coacta, ipsisque magis noxia & calamitosa, quam utilis. Unde etiam inter ipsos, & eorum dominos non est mutuus amor, aut vera benevolentia: sed potius odium & metus: quemadmodum in proverbio dicitur. Quot servi, tot hostes. Item, oderunt quem metunt.

Φανερόν δὲ
κὶ ἐκ τοῦ-
των.

Quid ex iam dictis infert Aristoteles?

Aristoteles ex ijs quæ de duobus generibus servorum dixit, infert manifestam esse, quod imperium herile seu domesticum non sit idem cum imperio civili seu politico. Quibus verbis videtur velle refutare Platonis opinionem, qui in dialogo suo politico scripsit, imperium herile & civile non differre inter se specie, sed tantum τῷ πλῆθει, hoc est, multitudine sive numero eorum in quos exercetur: Exempli gratia, si imperium est solum erga unum aut paucos qui dicuntur servi, tunc illud imperium nominari δεσποικὸν herile: si verò imperium est in multos qui dicuntur cives, tunc imperium illud appellari πολιτικὸν civile. Hanc opinionem Aristoteles hoc loco refutat, & tribus argumentis probat ista imperia etiam specie inter se differre.

Quod est primum Argumentum?

Primum argumentum sumitur à materia, seu obiecto. Quæ versantur circa obiecta specie diversa, ea

sa, ea ipsa quoque specie inter se differunt. Sed imperium herile & civile versantur circa obiecta specie diversa: illud enim exercetur in homines servos, hoc verò in homines liberos: servus autem ab homine libero specie differt. Ergò imperium herile à civili specie differt.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à forma imperandi. Imperium herile est tantum penes unum, qui solus & semper imperat suis servis. Imperium autem civile est penes plures, qui neque semper, neque soli, sed per vices imperant & parent. Ergò ista duo imperia specie inter se differunt.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur à proprio. Dominus proprie aestimatur τῆ φύσει ex sua natura, quatenus naturali quadam dexteritate ingenij ad dominandum & imperandum servo præditus est. Politicus autem aestimatur τῆ ἐπισήμῃ: quatenus scientiam administrandæ Reipub. habet. Atque hæc duo nempe ἡ φύσις, καὶ ἐπισήμη: natura & scientia sunt res specie differentes: Ergò etiam horum imperia sunt specie diversa.

Nulla ne igitur est scientia dominandi
aut serviendi?

Est, etiamsi ex ea proprie dominus aut servus non aestimentur, aut definiantur.

D 3

Quid est scientia herilis, ἐπισήμη δεσπολική?

Scientia herilis est facultas rectè utendi servis, ἢ δὴ δύναμις χηστικὴ τῶν δούλων. Ratio autem rectè utendi servis consistit in duobus: primum ut dominus sciat servis rectè imperare, & mandare: non solum quid, sed etiam quomodo aliquid ab ijs fieri velit. Deinde ut etiam possit ea quæ mandavit, tempestivè ab ijsdem exigere, deq; illis, utrum benè facta sint, rectè iudicare.

δεσλικὴ μὲν
δύναμις

Quid est scientia servilis, ἐπισήμη δεσλική?

Scientia servilis est facultas rectè obeundi servi-
lia ministeria, quæ ad quotidianum usum rei dome-
stica sunt necessaria: ea quæ ab Aristotele hoc loco
nominantur ἐγκύκλια διακονήματα.

Quæ est distinctio servilium officiorum?

Magna est eorum varietas: possunt autem ferè
duabus comprehendi distinctionibus. Quarum
prima est ratione Qualitatis per comparisonem.
Quòd ministeria servilia alia sunt honestiora, ἐπι-
μότερα, alia magis necessaria, ἀναγκαιότερα: unde
natum est proverbium, quo dicitur: δούλος πρὸ δού-
λου, δεσπότης πρὸ δεσπότη, servus servo, dominus do-
mino præstantior est.

Altera distinctio est ratione finis seu usus: Quòd
ministeria servilia alia sunt οἰκονομικά, quæ in ser-
viunt

viunt administrationi rei familiaris: alia sunt γεωργικὰ, quæ pertinent ad culturam agrorum: alia verò μηχανικὰ ἢ τεχνικὰ, quibus varia opificum opera, instrumenta, aliâq; vasa utensilia efficiuntur atq; elaborantur.

CAPVT V.

Quod est alterum fundamentum domesticæ societatis?

Ὅλως δὲ
ὡς πρὸς
σημ.

Alterum fundamentum domesticæ societatis sunt αἱ κτήσεις, vel τὰ κτήματα, possessiones, opes, & facultates, quæ sunt, ut paulò ante dictum est, quasi instrumenta, & adiumenta, sine quibus societas domestica non potest vel constitui, vel conservari.

Quæ sunt hîc consideranda?

Duo: Primum ἡ κτηλικὴ, ratio acquirendi. Deinde ἡ χρησικὴ, ratio utendi: ὅθεν γὰρ ἔστι κτήσις, ἀν μὴ χρησις ἀκολουθῆ: nihil enim profunt diuitiæ, nisi accesserit earum usus. Sic infra in cap. 7. ait, circa τὰ κτήματα consideranda esse duo, primum τὴν γνώσιν, ἢ θεωρίαν, deinde τὴν ἀεὶξιν, quæ consistit ἐν τῇ χρησει, καὶ ἐμπειρίᾳ.

Quid est ἡ κτηλικὴ?

Ἡ κτηλικὴ est scientia seu facultas acquirendi ea quæ ad victum & vitæ sustentationem sunt neces-

*saria. Aristoteles, ἡ κτηλικὴ ὄρεσις ἐπιμέλεια πρὸς τὴν
τεροφὴν. Item, ἡ κτηλικὴ ὄρεσις θησαυρισμὸς τῶν πρὸς
ζῶν ἀναγκαίων, καὶ χησίμων εἰς κοινωνίαν πόλεως,
ἢ οἰκίας.*

Quid est ἡ χησικὴ?

*H' χησικὴ est facultas & ratio rectè utendi qua-
sitis, ad necessarios vitæ quotidiana usus in rei do-
mestica administratione.*

*Quare ἡ κτηλικὴ etiam ab Aristotele ap-
pellatur χημικικὴ?*

*Huius rei videntur esse duæ causæ. Prima est,
quia τὰ χήματα, id est, pecunia & numi sunt com-
modissimum & maximè usitatum medium atq;
instrumentum, per quod ea, quæ nobis necessaria
sunt, comparamus. Quemadmodum Horatius ait,
Omnia divina, & humana pulchris parent divi-
tys: quas qui construxerit, quicquid volet habe-
bit. Et Petronius Arbiter,*

*Quisquis habet numos securâ naviget aurâ:
Fortunamq; suo temperet arbitrio.*

Quidvis numis presentibus opta, & veniet.

*Altera causa ex priorè dependet. Quia enim
homines vident pecuniarum beneficio omnia neces-
saria posse comparari, ideò maximè occupati sunt
in congerendis & cumulandis pecunijs: sequentes
illud Horatij dictum,*

O cives

O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus post numos.

Estne ἡ κτηλικὴ eadem cum facultate œconomica,
an verò est solùm eius aliqua pars, aut
eius administra?

Ὅτι μὲν ἐν
ἐξ' ἡ αὐτῆ.

Quoniam ἡ κτηλικὴ non est simplex, sunt enim
plures species & modi acquisitionis: ideo antequam
ad hanc questionem respondeatur, prius per divi-
sionē explicandi sunt modi & species τῆς κτηλικῆς.

Quotuplex est ergò ἡ κτηλικὴ?

Triples, quarum una est φυσικὴ seu κατὰ φύσιν,
quam natura hominibus monstravit necessitate sic
urgente. Hæc etiam ab Aristotele ἀναγκαία, καὶ
οἰκειοτάτη, id est, necessaria, & maximè propria no-
minatur.

Alterà est artificiosa, & μὴ φυσικὴ non natura-
lis, nec necessaria: Quæ hominum industriâ & stu-
dio est inventa.

Tertiã est mixta, per quam partim ex rebus na-
turalibus, partim verò arte effectis, victus acquiri-
tur: ut cum ex lapidibus, lignis, metallis, ex terra,
luto, & similibus materialibus, quæ natura suppe-
ditat, varia ab artificibus efficiuntur opera, vasa,
suppellectilia, & omnis generis utensilia & instru-
menta, quibus in quotidiana vita & administra-
tione rei domesticæ tam necessarius est usus, ut sine
illis homines commodè vitam traducere, aut sua

negocia exequi non possent. Hūc quoq̄ pertinent omnia instrumenta rustica, bellica, fabrilia, & similia.

Circa quas res præcipuè versatur naturalis
κτῆλική?

Circa ea quæ ad victum pertinent.

Πότερον δὲ
μέγος αὐ-
τῆς.

Quare acquisitio victus dicitur naturalis?

Non solum quia natura necessitas eum postulat, sine quo nullum animal diu potest vitam suam sustentare. Sed etiam quia hæc acquisitio imitatur nature providentiã, quæ omni animali simul ac est in hanc lucem editum, de victu seu alimento videtur prospexisse. Primum quidem quod omnibus animalibus illum affectum indidit, ut suum foetum seu prolem suam cupiant alere, & nutrire. Deinde quod aliquibus prospexit de lacte materno, aliquibus verò aliam quandam materiam ad nasci fecit: unde possint ad aliquod tempus se sustentare: donec ipsa sibi cibum quærere possint. Præterea ipsa natura omnibus tam recens natis, quam adultis, quotidie è terra producit varias herbas, semina & fructus: unde nutrimentum quærant, quo se & suas proles alere possint. Ipsis deniq̄, hominibus non solum omne genus animalium ad cibum & victum concessit: verum etiam eam industriam, & ingenij sagacitatem largita est: ut varias excogitarent artes,

artes, quarum beneficio possent sibi victum, & alia vite subsidia comparare.

Hæc naturalis acquisitio quotuplex est?

Duplex, alia enim est simplex, alia mixta. Simplex acquisitio dicitur, qua uno aliquo certo vite genere victum nobis acquirimus, veluti ex sola agricultura, aut venatione, aut piscatione, aut uno aliquo artificio. Mixta autem est, per quam non una solum ratione, sed diversis modis & rationibus victum nobis comparamus, ut sunt qui simul & mercaturam & opificium aliquod exercent: item qui simul & agricultura, & venationi, & aucupio operam dant.

Est ne unius modi hæc simplex victus acquisitio?

Minimè: Nam pro varietate ciborum & alimentorum, etiam varia sunt species acquirendi victum: quarum Aristoteles hoc loco quatuor præcipuas enumerat.

Quæ est prima species acquirendi victum?

Prima & præcipua species est ἡ γεωργία, agricultura, per quam victus queritur ex terra, & iis quæ è terra nascuntur: ut sunt herbae, semina, fruges, legumina, fructus arborum, radices, & his similia: quæ esui hominibus sunt accommodata.

Quæ est altera species?

Altera species est qua ex pastura animalium mansue-

mansuetorum & cicurum victus quaeritur, ut sunt boves, equi, asini, oves, caprae, sues: vocatur haec ratio νομαδική, pastoritia.

Quæ est tertia species?

Tertia species acquirendi victum est ab aliquo modo violenta, & bellica. Quando ex prædatione hostium victus quaeritur. Nominatur πολεμική, καὶ ληστική, prædatoria.

Quæ est quarta species?

Quarta species est, qua ex venatione bestiarum, & animalium agrestium victus quaeritur. Hæc ratio nominatur ἀγροτική, & est triplex, iuxta præcipuas differentias bestiarum: quarum alia sunt terrestres, alia volatiles, alia aquatiles: hinc existunt hæ tres species, θυσιατική, id est, Venatio: ὀρνιθοθήρα, aucupium: & ἀλιευτική, piscatio.

NOTA. Ex his quatuor speciebus & modis acquirendi victum, Aristoteles colligit etiam quatuor vitæ genera: nempe βίον γεωργικόν, βίον νομαδικόν, βίον πολεμικόν ἢ ληστικόν, & βίον ἀγροτικόν. Quas rursus sic distinguit, quòd quedam vita est sine labore: ut est vita pastoralis: quæ propterea etiam ab eo βίος θεωρητικός nominatur: quedam verò est labore coniuncta, qui labor vel est sine periculo, ut βίος γεωργικός, vel est cum periculo coniunctus, eoq̄ vel honesto, ut βίος θυσιατικός, vel turpi, ut βίος ληστικός.

Quare

Quare Aristoteles in naturales modos acquirendi etiam recenset τὴν πολεμικὴν: cum tamen iste modus sit violentus, & quasi contra naturam?

Aristoteles videtur loqui de hominibus barbaris & agrestibus, qui quoniam natura sunt servi, & ad serviendum facti, quemadmodum supra dictum fuit: ideo iustum est, si in bello capiuntur, eos cogere ad serviendum ijs, à quibus capti sunt. Quod si verò hoc iustum est, ideo etiam est secundum naturam. Præterea si non est contra naturam feras capere ad hominum usum, etiam non est contra naturam barbaros huiusmodi homines capere, & cogere ut nobis serviant.

Quoniam hæcenus explicasti de varijs modis & speciebus τῆς κτηλικῆς: responde iam ad quaestionem tibi supra propositam, quænam κτηλικὴ sit pars œconomicae facultatis?

Ἐν μὲν ἔν
εἶδος κτη-
τικῆς.

Ea κτηλικὴ est pars œconomicae facultatis, quæ in acquirendo victu & alimento eum servat modum, quem naturæ necessitas postulat, & hominibus monstravit.

Quibus rationibus hoc probatur?

Duabus. Prima est talis. Quæ necessaria sunt ad alicuius rei conservationem, ea etiam sunt pars eius rei. Sed victus & alimenta sunt necessaria ad conser-

conservandam œconomiam. Ergò acquisitio victus & alimentorum sunt pars œconomia.

Altera ratio. Quæ sunt veræ divitiæ, earum acquisitio est pars œconomia. Sed virtus & alimenta sunt veræ divitiæ. Ergò victus & alimentorum acquisitio est pars œconomia. Minor probatur rationibus. *Prima.* Quæ divitiæ in se habent tantum, quantum satis est ad benè vivendum, illæ sunt veræ divitiæ. Sed acquisitio victus & alimentorum habet in se tantum, quantum satis est ad benè vivendum. Ergò victus & alimenta sunt veræ divitiæ. *Altera ratio.* Divitiæ quæ sunt finitæ, hoc est, quæ habent certum modum, finem, & usum: hæ sunt veræ divitiæ. Sed victus & alimenta sunt finitæ. Ergò sunt veræ divitiæ. Minor probatur. Quæ sunt instrumenta & media ad aliquid efficiendum destinata, ea debent esse finitæ. Sed victus & alimenta sunt instrumenta & media ad administrandam rem familiarem destinata. Ergò victus & alimenta sunt finitæ.

Καὶ ἔοικεν
ὅγ' ἑλη-
θινός.

Obiectio. At Solon in quodam carmine scripsit, divitiarum nullum esse certum terminum?

Solutio. Hæc Solonis sententia non est intelligenda de naturali appetitu victus & alimentorum: iste enim appetitus facile potest satiari: siquidem natura paucis est contenta: sed de inordinato appetitu

titu

ritu earum rerum, quæ non necessaria sunt, sed tantum sunt administræ maximarum voluptatum: ut Cic. ait: Talium enim cupiditas est inexplebilis, & in infinitum progreditur, ac subinde crescit, ideò comparatur hydropi: in quo morbo, quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aqua, teste Ouidio. sicut etiam dicitur:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Hanc κτηλικὴν Aristoteles in sequente capite reprehendit, & ait eam meritò nominari χρηματιστικὴν, δι' ἣν ὁδὸν δοκεῖ πέρσας εἶναι πλῆττα, καὶ κτήσεως.

CAPVT VI.

Quæ est altera acquirendi ratio, quam dixisti non esse naturalem, sed artificiosam: ἀλλὰ τῆς τέχνης καὶ ἐμπειρίας?

Ἐστὶ δὲ γινώσκοντος ἄλλο κτηλικῆς.

Non naturalis κτηλικὴ est, qua victum & alias res acquirimus per commutationem: ἀλλὰ πρὸς ἀλλαγῶν καὶ μεταβολῶν: undè etiam ἀλλακτικὴ, καὶ μεταβλητικὴ, permutatoria, & commerciaria nominatur.

Si hæc κτηλικὴ non est naturalis, estne contrà naturam?

Minimè. Quoniam si legitimo modo exercetur, eum non repugnat naturæ: sed potius defectum eius supplet, & tanquam ministra succurrit naturæ.

Quo

Quo pacto hæc differt à priorè?

Quatuor potissimum modis. Primum origine seu causa efficiente. Nam priorè rationem docuit, & postulat naturæ necessitas: hæc verò hominum industria & arte est inventa. Itaque prior est necessaria, hæc autem adventicia.

Quod est alterum discrimen?

Deinde differunt causa formali: quia prior est finita, certis nimirum terminis ab ipsa natura circumscripta: quæ sicut paucis est contenta, ita etiam facile potest ei satisfieri. Nam ut Cic. ait, Tantum solummodo cibi & potionis adhibendum est, ut vires naturæ reficiantur, non opprimantur. Hæc autem posterior ratio acquirendi est infinita, profecta nimirum ab hominum cupiditate, quæ insatiabilis est. Ac de ea rectè Solonis dictum, cuius supra mentio facta est, accipiendum est, τὸ πλεῖστον οὐδὲν τέλος πεφασμένον ἀνθρώποις κείται, id est, divitiarum nullus certus terminus hominibus præfixus est.

Quod est tertium discrimen?

Tertio differunt causâ materiali & obiectis, circa quæ utraq; ratio acquirendi versatur. Nam prior solum versatur circa victum & alimenta, quæ ad vitam sustentandam hominibus sunt necessaria. Hæc autem non solum circa victum & alimenta,

menta,

menta, sed etiam circa alias quas cunq̄ res est occupata: quarum acquisitio ad vitam hanc commodius transigendam videtur esse accommodata.

Quod est quartum discrimen?

Quarto differunt causa finali. Prior enim acquisitio ad supplendam naturæ indigentiam & necessitatem refertur. Hæc autem posterior ab hominibus excogitata est ad splendorem, voluptatem & luxum.

Quot modis fit rerum permutatio?

Duobus. Vel enim permutatio fit simpliciter sine aliquo medio: ut cum res permutantur pro rebus: merces pro mercibus: frumentum pro vino: vinum pro oleo: zinziber pro pipere: ferrum pro lana, &c. Vel permutatio fit per aliquod medium, per quod res permutande prius estimantur certo aliquo precio: ut cum pro frumento, vel vino, vel re alia, datur pecunia. Quemadmodum fieri solet in emptionibus & venditionibus.

Λάβωμεν
δὲ ὡς ἂν
τῆς.

Quomodo vocatur hæc permutatio?

Χρηματικῆς, pecuniaria, partim quia fit per τὰ χεῖματα, quæ sunt medium & instrumentum huius permutationis: partim quia maiore ex parte ferè tota hæc permutandi ratio dirigitur πρὸς τὴν συλλογὴν καὶ σὺνδραμὴν τῶν χρημάτων, ad coacervandas & cumulandas pecunias.

E

Quare inventa est hæc ratio permu-
tandi?

Ut facilius esset permutatio & conquisitio earum rerum, quibus indigemus: quarum transportatio alioquin fuisset difficilissima. ἢ γὰρ εὐβάστακλον ἔχασον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκάων.

Quotuplex est hæc χρηματικὴ?

Duplex. Una honesta, licita, & in hac civili vita ut plurimum necessaria atq; utilis: per quam res æquo precio æstimantur, ut inter ementes & vendentes, aut alio modo permutantes, iusta utrinq; & utilis possit fieri permutatio. Altera autem est turpis, & prohibita neq; necessaria: cuius etiam duo sunt modi, unus est, quando ipsæ RES permutandæ maiore precio æstimantur ac permutantur, quàm æquum & iustum est: atq; hæc ratio permu- tandi nominatur καπηλικὴ, cauponaria. Alter mo- dus est, quando ipsa pecunia pro pecunia commuta- tur: idq; rursum duobus modis fit: primus est, quando pro sola permutatione lucrum aliquod exi- gitur: da man etwas weitters für den Aufwechsel geben muß; quæ ratio vocatur ab alijs κολληβιστικὴ, hoc loco ὀβολοσαλικὴ, numularia. Deindè quando pecunia ad certum aliquod tempus pro fœnore elo- catur, ut ex se aliam pecuniam successu temporis pariat: quæ ratio vocatur fœneratio, usura, Græcè τοκισμὸς.

τοκοσμός, & τόκος, ἀπὸ τῆς τίκεν, à pariendo: quasi pecunia fœtus & partus. Quæ ratio acquirendæ pecuniæ, est omninò contrà naturam pecuniæ, quæ solùm inventa fuit, ut esset medium permutatio- nis: non autem ut ipsa ex se aliam pareret pecuniã.

Quomodo definitur ab Aristotele καπηλική?

Ἐκ μὲν τοῦ
ταύτης ἐν
γένεσι.

Ἡ καπηλική ἐστὶ δύναμις θεωρητικὴ, πόθεν ἔσσι
πλήθος χρημάτων. Cauponaria est facultas exco-
gitandi & inquirendi modum & rationem, undè
possit haberi magna vis pecuniæ.

Qualis est ἡ καπηλική?

Est turpis & sordida. Primùm quia est contrà naturam, ut paulò antè dictum est. Deindè quia ipsa pecunia, quæ debebat esse solùm medium & instrumentum facilioris permutationis, iam ab hominibus habetur pro fine & scopo permutationis: quatenus homines student per hanc rationem adhuc plures alias pecunias cumulare. Tertio quia hæc hominum cupiditas extenditur in infinitum: quemadmodum etiam paulò antè dictum est: unde Aristoteles hoc loco ait: ταύτης τῆς χρηματιστικῆς ἔκ εἶναι τὸ τέλος πέρους, id est, finem huius pecunia- riæ rationis nullum habere extremum, in quo consistat.

Quomodo differt hæc κτηλική ab illa priorē pecuniæ permutatiōne?

Primūm in eo differt, quòd illa prior est aliquo modo secundum naturam, quatenus per eam indigentia & necessitati natura succurritur: Hæc autem natura repugnat. Deinde quòd illa in seruit œconomia, est q̄ eius cognitio œconomo aliquo modo utilis & necessaria: hæc autem propriè ad œconomum non pertinet, ideo q̄ ad œconomiam non est necessaria. Neq̄ enim œconomi, quatenus œconomus est, proprium officium est conquirere & augere opes & pecunias: sed opibus & pecunijs rectè in administranda re domestica uti. Tertio, quòd per priorem rationem acquiruntur veræ & honestæ diuitiæ: per hanc verò acquiruntur opes, quæ cum probro aliquo & dedecore acquirentis sunt coniunctæ. Quarto quòd prior ratio acquirendæ pecuniæ est finita: respicit enim verum finem, nempe utilitatem domesticorum: hæc autem non est finita, hoc est, non respicit certum & verum finem œconomia: sed in infinitum cogitat pecunias cumulare, non utendi, sed solūm possidendi gratia. Κτήσις autem non est verus diuitiarum finis, sed ἡ χῆσις.

Sunt ne pecuniæ veræ diuitiæ?

καὶ γὰρ τὸν
πλοῦτον
πολλὰ κίβη.

Pleriq̄ quidem homines existimant, τὸν πλοῦτον, id est, diuitias nihil aliud esse quàm πλῆθος νομισμάτων.

μισμάτων, copiam & multitudinem pecuniarum: ideoq̄ in illis conquirendis & cumulandis tantopere sunt occupati. Verum Aristoteles hanc eorum opinionem nominat λήσων, id est, nugas: quia per eam homines vehementer decipiuntur & errant: quod confirmat duabus rationibus. Prima ratio: Quæ divitiæ sunt incertæ, hæ non sunt veræ divitiæ. Sed divitiæ ex solis pecunijs congestæ, sunt incertæ: quoniam pecuniarum seu numerorum valor ex hominum voluntate & arbitrio pendet: qui possunt valorem aut retinere, aut mutare, aut omnino abrogare. Altera ratio est: veræ divitiæ sunt, quarum presentia & beneficio homo potest se suamq̄ vitam sustentare. At qui solis pecunijs seu numis, licet in magna copia adsint, non potest homo se, vitamq̄ suam sustentare. Ergo pecuniæ non sunt veræ divitiæ. Minor probatur exemplo Midæ regis Phrygiæ, de quo fabulantur poëta, ut est apud Ovid. lib. 11. qui cum ex nimia avaritia precatus esset Iovem, ut quicquid attingeret, illud in aurum converteretur: atq̄ huius sui voti compos factus esset, tandem omnes cibi quos comedere volebat, in aurum sunt conversi, ita ut illis frui non posset, ut sic coactus fuerit in summa pecuniarum abundantia fame perire.

Si pecuniæ non sunt veræ divitiæ: quæ sunt igitur causæ, propter quas homines tanto studio, tantaq; aviditate in illis conquirendis & cumulandis sunt occupati?

Huius rei Aristoteles videtur tres causas adferre. Prima causa est ipsa affinitas & cognatio, quæ est inter œconomiam & χρηματιστικὴν: Nam ad œconomiam bene & feliciter administrandam, omninò opus est pecunijs: sine quibus ea quæ necessaria sunt ad alendam familiam, difficulter haberi aut conquiri possunt: itaq; qui bonus vult videri œconomus, etiam studet, quo pacto possit colligere pecunias ad emenda necessaria. Altera causa est innatus amor, & studium vitæ conservandæ & prolongandæ: Quia autem pecuniarum beneficio vitæ præsidia, & subsidia comparantur: ideò etiam homines tantoperè laborant in conquirendis pecunijs. Tertia causa est, nimia voluptatum cupiditas: qua maior hominum pars laborat. Quia autem pecuniæ magnum adferunt adiumentum ad voluptatum desiderium explendum: ideò etiam eam ob causam tantoperè ab hominibus expetuntur. De utraq; iam dicta causa inquit Cic. lib. 1. Offic. Expetuntur autem divitiæ, cum ad usus vitæ necessarios: tum ad perfruendas voluptates. Et lib. 2. de fin. Pecunia est effectrix multarum & magnarum voluptatum.

CAPVT

Quoniam præcipuos modos & species τῆς κτηλικῆς ἵ-
 ctenus explicasti: responde iam ad quæstionem
 tibi suprâ in quinto capite propositam: Est
 ne ἡ κτηλική, eadem cum facultate
 œconomica, an verò est aliqua
 eius pars: aut eius ad-
 ministra?

Δῆλον δὲ
 καὶ τὸ ἀπο-
 ερέμενον ἐξ
 ἀρχῆς.

*Ad hanc quæstionem primùm generatim re-
 spondeo negando, nempe: quòd κτηλικὴ non eadem
 sit cùm facultate œconomica. Atq; hoc probo tali
 argumento. Quarum facultatum diversus est fi-
 nis, & diversum munus, hæ non sunt eadem. Sed
 prædictarum duarum facultatum diversus est finis
 & diversum munus. Ergò due hæ facultates non
 sunt eadem. Minor declaratur: Quoniam τῆς κτη-
 λικῆς, finis & munus est acquirere opes: τῆς οἰκονο-
 μικῆς verò finis & proprium munus est, posse rebus
 acquisitis rectè in administratione rei familiaris u-
 ti: undè etiam Xenophon œconomum definit esse
 eum, ὅστις ἀγίσα χεῖται τῷ οἴκῳ.*

Quomodo hoc ipsum Aristoteles amplius declarat?

*Tribus exemplis similibus. Primum simile.
 Quemadmodum scientia politica non facit homi-
 nes: sed aliundè eos sumit, eorumq; opera in admi-
 nistranda Repub. utitur: ita œconomie munus non
 est, acquirere opes: sed solùm acquisitis rectè in do-
 mestica administratione uti.*

E 4

Alterum simile. Quemadmodum textor non ipse facit lanam aut fila; sed ex illis, aliundè sibi allatis, telam & pannum texit: ita œconomus non acquirit opes; sed acquisitis rectè in administratione rei domesticæ utitur.

Tertium simile. Quemadmodum ars medica non propterea eadem est cum politica: etiamsi magistratus politici officium sit, in civitate etiam eorum curam habere, quæ pertinent ad valetudinem et sanitatem civium: ita neq̄, ἢ κτηλικὴ propterea eadem est cum facultate œconomica: quia boni œconomi officium est, etiam providere de ijs rebus, quæ ad administrandam domum, & alendam familiam sunt necessaria.

At si κτηλικὴ non est eadem cum facultate œconomica: Estne aliqua eius pars, aut administra?

Quia κτηλικὴ, non est simplex, quemadmodum hæctenus est explicatum: ideò ad questionem hanc etiam per distinctionem sic respondeo. Ea κτηλικὴ, naturalis & necessaria est: per quam indigentia, & necessitati nature, honesta & iusta ratione succurritur: ea, inquam, maximè pertinet ad œconomiam ratione cognitionis: est q̄, non solum eius administra, sed etiam aliqua eius pars. Cuiusmodi est prima illa species quæ μεταβλητικὴ καὶ γενικωτικὴ, nominatur. Ea autem κτηλικὴ, quæ neq̄, naturalis,

turalis.

turalis, neq̄ necessaria est: sed solum ad explendam
hominum avaritiam, aut ad perfruendas volupta-
tes est inventa: ea ad œconomiam non modo non
pertinet: verum etiã est turpis, & fugienda: qualis
est ea, quæ κατηλική, cauponaria, & ὀβολοσαλική
numularia, fœneratoria, & usuraria appellatur.

Explicasti hætenus unum caput quod circa τὰ κτήματα ἔπει δὲ τὰ
τα, opes & facultates est considerandum, nem- πρὸς τὴν
pè τὴν κτηλικὴν, rationem acquirendi. Quod γνώσιν.
est alterum caput, quod hîc quoq̄;
considerandum est?

Alterum caput quod circa τὰ κτήματα, id est,
opes, & facultates in œconomia considerandum,
est πρὸς τῆς χησικῆς, de ratione utendi, quo pacto
nimirum opibus acquisitis rectè in administratione
rei domesticæ sit utendum. Ac quemadmodum
prius caput pertinebat πρὸς τὴν δεωρίαν καὶ γνώσιν,
ita hoc refertur πρὸς τὴν περὶ τὴν ἐμπερίαν. Eius
definitio suprâ in quinto cap. fuit tradita.

Quæ traduntur ab Aristotele de hac parte
præcepta?

Aristoteles in hoc loco solum quatuor generalia
præcepta tradit, quæ circa rectum divitiarum usum
œconomus sunt servanda. Nam de singulis seorsim
& accuratius præcipere, propriè ad scientiam poli-
ticam non pertinet. Est autem primum præceptum
tale. Qui bonus vult esse œconomus, debet habere

E 5

peritiam earum rerum, quæ ad familiæ sustentationem maximè sunt utiles & necessaria, undè, quando, quomodo, & in quem usum sint comparandæ. Hoc præceptum præcipuè pertinet ad primam κτητικὴν, quæ est secundum naturam, qua ex rebus, quas natura nobis subministrat, victum quaerimus: ut ex agricultura, pastura, & venatione.

Quod est alterum præceptum?

Alterum præceptum pertinet ad κτηλικὴν artificiosam, quæ fit permutando. Circa rerum permutationes œconomum nosse oportet species sive modos secundum quos permutationes fiunt: & quinam ex illis sint honestiores, utiliores, magisq; necessarij.

Quæ sunt præcipuæ species permutationum?

Tres: Mercatura, Fœneratio, & Mercenaria locatio: ἐμπορία, τοκισμὸς, μισθωσία. Mercatura est ratio, qua vel per mercium commutationem, vel per emptionem & venditionem interveniente pecunia res acquirimus.

Quot sunt eius species?

Tres hoc loco enumerantur ab Aristotele mercature species: una ναυκληρία, mercatura nautica, seu maritima, qua merces navibus per mare & flumina hinc indè transuehuntur. Altera φορτηγία, subvectoria aut terrestris, qua iumentis vel curribus

bus

bus merces per terram ex una urbe vel regione ad aliam transportantur. Tertia *παράστασις*, stataria vel Institoria, qua domi mercatura exercetur, quemadmodum institores facere solent. Differunt autem hæ tres species mercaturæ etiam in eo, quòd aliæ alijs sunt tutiores minusq; periculose: & quòd aliæ alijs sunt fructuosiores.

Quid est Fœneratio?

Fœneratio est pecunia pro pecunia cum lucro aliquo commutatio. De hac in præcedente cap. dictum est, quòd sit contra naturam pecuniæ, ideoq; turpis & sordida.

Quid est *μίσθια*?

Μίσθια, est opera mercenaria: quando aliquis suos labores, & suas operas alteri pro mercede addicit, & quasi vendit: Græcè, *μίσθια ἔστιν ἢ ἐπὶ μισθῷ γενομένην ἐργασίαν*. Est opera mercenaria.

Quæ sunt talium *ἐργασιῶν*, operarum differentiarum?

Primū. *Ἐργασίαι*, id est, opera illa vel præstantur ex certa aliqua arte: ut sunt opera fabrorū, sartorum, textorū, & aliorū opificiū: vel præstantur solo corporis robore & viribus: ut sunt opera baiulorū, lignatorum, fossorū, agricolarum, tabellariorū, &c. Deinde, Quædam opera sunt *τεχνιώταται* artificiosissima: in quibus vel nihil, vel admodum parum fortuna

Εἰσι δὲ τεχνιώταται μὲν τῶν ἐργασιῶν.

fortuna dominatur, ut sunt opera pictorum, statuariorum, scribarū. Quaedam sunt βαναυστόταται, sordidissima: per quas corpora laborantium inquinantur: veluti sunt opera cerdonum, coriariorum, ferrariorum, tinctorum, coquorum, laniorum, & similibus opificum. Quaedam sunt δυλικώταται maximè serviles: in quibus præstandis tantum corporis robur, nullæ autem vires animi & ingenij requiruntur: ut sunt opera baiulorum, fossorum, & similibus, de quibus in priore distinctione etiam dictum est. Quaedam deniq; opera sunt ἀδυνέσταται, vilissima, & maximè ignobiles: in quibus peragendis minimum virtutis requiritur: veluti sunt opera scopariorum, unctorum, balneatorum, ianitorum, mediastinorum & similibus.

Quod est tertium præceptum?

Tertium præceptum pertinet ad eam κτηλικὴν, quam supra nominavit Mixtam, per quam ex rebus naturalibus quidem, sed artificiosè elaboratis & fabricatis, pecunia & opes acquiruntur. De his Aristoteles hoc tradit præceptum. Bonum œconomum nosse oportet, ad quæ opera & instrumenta efficienda unaquæq; materia maximè sit accommodata: quo pacto etiam, quando, & undè materia illa sit comparanda, ac preparanda, ut inde opus artificiosum & utile effici possit.

Quod

Quod est quartum præceptum?

Debet etiam bonus œconomus non solum aliorum scripta legere, qui tam de naturali, quam de artificiosa ratione acquirendi aliquid scripserunt: verum etiam eorum exempla & facta observare & imitari: qui in conquirendis opibus novas & peculiare rationes excogitarunt. Cuius rei duo commemorat exempla. Vnum Thaletis Milesij insignis astronomi, qui cum ex sua arte prævidisset fore eo anno magnam ubertatem olearum: ipse omnes officinas olearias parvo precio conduxit: postea, cum iam tempus aduenisset exprimendi, & colligendi oleum: easdem iterum pro magna pecunia alijs elocavit: & hac ratione multum pecuniæ lucrificavit.

Alterum exemplum est de quodam Syracusano: qui ex quinquaginta talentis apud se depositis, omne ferrum coemit, & sic monopolium instituit: ut quicumque ferrum habere vellet, cogeret ab ipso emere: qua ratione ex quinquaginta illis talentis centum lucrificavit.

CAPVT VIII.

Quid in hoc postremo capite agitur?

Ἐπεὶ δὲ
τῆς.

Aristoteles in hoc capite redit ad societatem domesticam, de qua in tertio & quarto cap. coeperat agere: præcipue autem agit de personis & virtutibus

tutibus eorum, per quos œconomia & res familiaris est administranda.

Quæ est eorum differentia?

Qui œconomiam administrant, hi aut sunt ἀρχοὶ, id est, imperant, & præsent alijs: aut sunt ἐπιτρόποι, id est, parent, & imperata faciunt: ut dominus imperat seruo, maritus uxori, pater filio.

Quotuplex est istorum imperium?

Triplex, iuxta tres species domesticæ societatis: unum dicitur imperium herile, δεσποτικὸν: alterum imperium coniugale, γαμικὸν: tertium paternum, πατρικὸν.

Est ne eadem forma imperij in omnibus his tribus speciebus?

Minimè. Nam paternum imperium est quodammodo βασιλικὸν, regium: siquidem pater non solum auctoritate, etate, & prudentia, verum etiam benevolentia & beneficentia ita se habet erga suos liberos, quemadmodum bonus rex se habere debet erga suos subditos.

Quale est coniugale imperium, quod habet maritus in uxorem?

Imperium mariti in uxorem est πολιτικὸν, civile: quia est inter æquales, & refertur ad utriusq; commune commodum, habet etiam quandam vicissitudi-

ciffitudinem: quatenus coniuges inter se communicant consilia, & communiter rem domesticam administrant: ac familia imperant.

Quale est imperium herile, quod habet dominus in seruum?

Imperium herile est quodammodo Tyrannicum, maximè verò tum, quando dominus est homo durus & severus. Nam in hoc imperio omnia non solum ad unius, nempe domini, arbitrium & voluntatem fiunt, verum etiam ad illius commodum & utilitatem referuntur.

Iurène imperat dominus seruo, maritus uxori, pater liberis?

Maximè. Nam quod ad herile imperium atinet, supra in quarto cap. probatum fuit, aliquorum servitutem esse iustam: unde etiam à contrario sequitur, imperium in tales seruos etiam esse iustum. Quòd verò imperium mariti in uxorem, & patris in liberos sit iustum, probatur ex eo, quia & nature & iusticie est consentaneum, ut qui à natura aptiores & digniores ad imperandum facti sunt, hi etiam imperium habeant in eos, qui minus sunt apti & digni: at qui maritum & parentes à natura aptiores & digniores ad imperandum factos esse, quàm uxorem & liberos: per se manifestum est.

In iam

In jam commemoratis personis œconomicis, requiruntur ne etiam aliquæ virtutes, per quas possint suo officio in administranda œconomia rectè fungi?

Maximè. Omnis enim bona & perfecta actio à virtute aliqua proficiscitur, & perficitur.

Quæ sunt igitur illæ Virtutes?

Πρῶτον
μὲν ἐν πε-
ρὶ δόλων.

Primum, Omnes virtutes Ethicæ, quæ communiter in omnibus ijs requiruntur, qui cupiunt pro bonis & honestis viris haberi: tales autem quoque esse debent domestici: nam à malis & improbis hominibus nunquam poterit res domestica benè administrari. Deinde requiruntur etiam in illis certæ quaedam virtutes, quæ peculiariter & propriè ad domestica negocia rectè perficienda pertinent: & propterea œconomica virtutes appellantur. Exempli gratia, in domino & patrefamiliâs requiritur peritia rei familiaris, & prudentia, qua possit servis & familiæ rectè præcipere, & mandare ea negocia, quæ illis sunt peragenda. In marito autem & patrefamiliâs requiritur gravitas & auctoritas, cum amore & humanitate coniuncta, ergà uxorem liberos, & reliquam familiam. In uxore, reuerentia ergà maritum, pudicitia, taciturnitas. In seruo, fidelitas, diligentia, & industria, in exequendis mandatis sui domini. In liberis & pueris, obedientia, modestia, & verecundia.

Quotupli-

Quotuplices facit Aristoteles hoc loco
virtutes?

Duplices, quarum alia sunt ἀρχαί, quasi imperantes & principantes: quæ conveniunt ijs personis, quæ in administratione rei domesticæ alijs imperare debent: ut domino, marito, patri: alia sunt ἐπιχειρήματα, hoc est, ministrantes: quæ conveniunt ijs, qui alijs debent parère & imperata facere: ut servo, uxori, liberis.

Estne eadem, quo ad speciem attinet, virtus τοῦ ἀρχόντου, καὶ τοῦ ἀρχομένου, id est, eius qui imperat, & eius qui paret?

Φανερόν
τοίνυν ὅτι
ἀνάγκη

Aristoteles hanc questionem prolixè in utramque partem disputat: Summa autem huius disputationis videtur hæc esse. Quoniam τὸ ἀρχειν, καὶ τὸ ἀρχεῖσθαι, imperare, & imperium pati, seu imperata facere, specie differunt: sunt enim diversorum predicamentorum: ideò etiam proficiscuntur à virtutibus specie differentibus. Et sic τὸ ἀρχόντος καὶ ἀρχομένου, quoad infimã speciem attinet, non est eorum planè eadem prudentia, fortitudo, iusticia, temperantia, aut alia aliqua virtus moralis: licet videantur genere ipso convenire: & tantùm gradibus secundum magis & minus differre: nimirum quòd hæc in alijs sunt excellentiores, & perfectiores: in alijs verò minus perfectæ: pro diversitate condi-

F

tionis, & dignitatis personarum, à quibus œconomia administratur.

Quomodo Aristoteles hoc discrimen declarat?

Duobus exemplis similibus. Vnam sumitur à duabus potentijs animi humani: quarum una imperat, nempe Ratio: altera obtemperare debet rationi, videlicet Appetitus, seu Cupiditas. Vtriusq; autem potentie sunt propria quedam, ac specie differentes virtutes. Nam ad rationem pertinent virtutes diavonlixiç, intellectuales: ad appetitum verò referuntur virtutes ñ dixiç, morales. Alterum exemplum sumitur ab Architecto, & reliquis fabris: quorum operâ ipse architectus in extruendo edificio utitur. Architectus est is, qui gubernat totum opus: & imperat ceteris fabris, quid singuli facere debeant: qui sunt quasi eius ministri, ad cuius præscriptum omnia faciunt. Etsi verò architectus, & reliqui fabri versentur circa idem opus: tamen ars architecti specie differt ab arte reliquorum fabrorum: ipsumq; opus architecto potius ascribitur, quàm ceteris fabris: licet ipse quantum ad labores attinet, fortassè minus quàm ceteri in eo efficiendo laborasse videatur.

Requiritur ne in seruo aliqua virtus moralis?

In seruo, quatenus est homo ratione præditus: & debes

debet domini sui mandata rectè expedire: in eo virtus moralis quoq̄ locum habet, & requiritur: alioquin enim videretur ei ratio à natura frustra esse tributa. Quatenus verò est natura servus, id est, homo rudis & agrestis: ac simpliciter domini sui imperio ita subiectus, ut ex propria sua voluntate nihil ei suscipere, aut facere liceat: sed totus ex nutu & arbitrio sui domini pendet: eatenus eximia aliqua virtus moralis non admodum in eo requiritur. Alioquin enim, si virtute aliqua excelleret, indignus esset servitute.

Quales sunt servi virtutes?

Sunt ὀργανικαί, instrumentariae: dominus enim, ut supra in definitione servi dictum fuit, utitur servo tanquam instrumento animato. Sunt etiam διακονικαί, hoc est, per quas servi sua διακονήματα, hoc est, ministeria & obsequia praestant suis dominis, in administranda re familiari. Sunt denique σωματικαί, corporales, quoniam ut plurimum robore, & viribus corporis praestantur. Atq̄, ex his rursum aliae sunt δαλικαί, serviles: quae propriè in servo ad ministeria servilia praestanda requiruntur: aliae sunt τιμιώτεραι, honoratiores: quae etiam in homine libero & ingenuo requiruntur: ut sunt virtutes morales.

Si in seruo etiam requiritur aliqua virtus, à quo est ad virtutem instituendus?

Institutio serui, propriè ad dominum pertinet: cui debet seruire, & cuius mandata debet exequi: nam serui virtus, non ad ipsum seruum refertur, sed ad dominum: siquidem tunc bonus dicitur seruus & laudatur: non quando alterius negocia rectè administrat: sed quando domino suo fideliter & rectè seruit.

Ἀπορήσεις
εἰ ἂν τις
τὸ νῦν εἶρη
μύον.

Requiritur né etiam in artifice virtus aliqua moralis, ad opera suæ artis melius efficienda: quemadmodum in seruo ad sua ministeria exequenda?

Nequaquam: quia non est eadem ratio artificis quæ serui: etiamsi artificis operâ mercenariâ nobis quoq; frequenter in quotidiana vita sit utendum.

Quomodo igitur differt artifex à seruo?

Varijs modis. Nam in artifice quo ad opus ipsam, quod ei efficiendum est, attinet, solum requiritur peritia eius artis, quam exercet: qua si præditus est, potest præclarum opus efficere, & propter artem suam laudari, ac bonus artifex dici: quibuscunq; tandem moribus sit præditus: ita ut etiam malus & improbus homo, possit propter artis suæ peritiam, & opera quæ ex arte facit, bonus artifex nominari. In seruo autem ministeria sua rectè expedienda:

expedienda : etiam requiritur amor ergà dominum, fidelitas & industria in expediendis negocijs sui domini, & vitæ probitas : quæ si in eo non sunt, non poterit domino suo fideliter, & rectè servire : imò ab improbo & malo servo, sæpè magis metuendum nobis est, quàm ab hoste : quemadmodum in proverbio dicitur : Quot servi, tot hostes. Atq; hoc est unum discrimen inter servum & artificem, cuius hoc loco obiter mentionem facit Aristoteles.

Quod est alterum discrimen ?

Servus est socius & particeps vitæ sui domini : quia simul cohabitatur, cibum capit, & conversatur cum suo domino : estq; quasi pars sui domini : quatenus numeratur inter eius possessiones : Artifex verò nulla vitæ quotidiana societate nobis est coniunctus, imò potest esse remotus, & nobis ignotus : ὁ δὲ σκῆνος κοινωνὸς ἐστὶ ζωῆς, καὶ ὄργανον τεχνικὸν πρὸς ζωὴν, ut supra dictum fuit. ὁ δὲ τεχνίτης πορρωτέρων.

Quod est tertium discrimen ?

Servus ad omnia officia & obsequia obeunda est obstrictus, quæ ei à domino suo mandantur. Artifex verò solum ad certum aliquod opus efficiendum nobis est obligatus. ὁ μὲν τεχνίτης ἀφωρισμένῳ πινὰ ἔχει δουλείαν.

Quod est quartum discrimen ?

Servi aliqui sunt τῆ φύσει, ideoq; etiam invitè

coguntur servire. Nullus autem est τῆ φύσει artifex: quia nemo nascitur artifex: sed necesse est, ut artem aliquam discat.

Quod est quintum discrimen?

Servus omnia facit ex mandato & prescripto sui domini: artifex autem suum opus facit, non ex alterius prescripto, sed secundum suae artis praecepta.

Περὶ δὲ
ἀνδρῶν, καὶ
γυναικῶν,
καὶ τέκνων,
& πατρῶς.

Quare politici officium est, etiam de virtutibus praedictarum personarum considerare?

Quia plurimum interest ad felicitatem civitatis: ut etiam tales personae sint virtutibus praeditae: per quas possint recte suo munere in domestica administratione fungi: & sic bene beateque inter se mutuo vivere. Cum enim civitas constet ex pluribus domibus seu familiis: ideo non potest ipsa esse felix & beata: nisi etiam domestici sint felices & beati: haec autem felicitas illis absque virtute contingere non potest. Praeterea plus quam dimidia pars liberorum hominum in civitate, constat partim ex mulieribus, partim ex pueris, quibus ubi ad virilem aetatem provenerint, Respublica administranda debet committi: qui nisi recte ad virtutem fuerint instituti, nunquam poterunt eam bene administrare. Proinde legumlatori & politico in constituenda Repub. diligenter de horum virtutibus est considerandum.

LIBER

Liber Secundus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes
secundi libri?

QVONIAM Aristoteles in præcedente libro egit de materia, hoc est, de partibus ex quibus civitas constituitur: consequens iam erat, etiam agere de forma civitatis, quæ est ipsa πολιτεία, id est, Respublica, quam infra in libro quarto nominat εἶον τῆς πόλεως, vitam & quasi animam civitatis: quo pacto ea sit constituenda. Antequam verò accedat ad hanc doctrinam & præceptionem, prius examinat alias quasdam Respub. quæ tum temporis vel re ipsa & actu iam olim erant constitutæ: vel ab alijs quibusdam politicis scriptoribus, & legumlatoribus literis mandatæ & descriptæ, ut ex eorum consideratione eò facilius cognosci possit, quid in benè constituenda Repub. sequendum aut fugiendum sit. Ac in prima quidem parte huius libri, quæ continetur primis quatuor capitibus, examinat utramq; Platonis Rempub. eam scilicet, quæ in decem libris de Repub. & eam, quæ in duodecim libris de legibus ab eo fuit descripta. In altera verò parte, quæ quinq; sequentibus capitibus continetur, examinat quinq; alias Respub. quarum duæ etiã solum fuerunt literis consignatæ, à quodam

Phalea Chalcedonio, & Hippodamo Milesio: tres verò iam antea re ipsa constitutæ, ut Spartana seu Laconica, Cretensis, & Carthaginensis. Quibus ad finem annectit catalogum quorundam veterum legumlatorum: ut Solonis, Zaleuci, Charonde, Onomacriti, Philolai, Platonis, Draconis, Pittaci, Androdamantis.

CAPVT I.

Ἐπεὶ δὲ
ἀρχαίως
μετὰ θεω-
ρήσει.

Dixisti Aristotelem in hoc libro examinare & refutare aliorum opiniones, qui de Reipub. aliquid scripserunt: undè igitur facit initium?

A scriptis Platonis, quia eorum tunc maxima fuit autoritas.

Quot sunt præcipua volumina à Platone de hoc argumento conscripta?

Duo: quorum unum inscribitur περὶ πολιτείας, de Rebus politicis, continens decem libros: quod volumen Aristoteles solet nominare πρῶτῳ πολιτεία, primam Platonis reipub. partim ratione ordinis: quòd fuerit primo loco ab eo conscripta: partim ratione præstantiæ & dignitatis: quia in illis libris describitur idea perfectæ Reipub. quæ quia magis optari, quàm constitui potest, in hac humanarum rerum inconstantia, ideò etiam eam nominat πολιτεία κατ' εὐχὴν, Reipub. ex voto. Alterum volumen inscribitur περὶ τῶν νόμων, ἢ τῆς νομοθεσίας,

μοδεσίας, de legibus, aut ratione ferendarum legum: continens duodecim libros: in quibus describitur, quo pacto possit communiter mediocris aliqua forma bone Reipub. constitui: quæ quotidianis usibus huius vitæ sit accommodata. Hanc Aristoteles nominat δευτέραν πολιτείαν, alteram Rempub. Platonis, ἔτι καὶ τὸ δυνατόν, secundum id quod fieri potest, constitutam.

Quot sunt partes examinis, vel refutationis
Platonicae reipublicæ?

Tres: una pertinet communiter ad utrumq; volumen: ea autē breviter solum attingitur in quarto capite: altera pertinet ad decem libros de Repub. Ea continetur in tribus primis capitibus. Tertia pertinet ad duodecim libros de legibus: hæc habetur in quarto capite.

Quid communiter in duobus iam dictis voluminibus, Aristoteles præcipuè reprehendit?

Duo: Primum, Quòd multa quidem acutè, elegantè, ἔτι copiosè oratorio more in illis libris disputat: quæ tamen ad propositum ἔτι institutum non videntur pertinere: imò magis sunt ἀλλότρια, aliena à materia politica, ἔτι quodammodo πᾶρεργα, supervacanea: cuiusmodi sunt ea, quæ hinc inde disputat de ideis, de numeris, de animæ immor-

talitate, de affectibus, de Musica & Musicis, de Poëtis, de rebus Physicis, & similibus alijs, quarum tractatio & cognitio planè ad rectè constituendam Rempubicam nihil prodest, neq; etiam requiritur. Deindè, quòd in istis libris multa necessaria, & propriè ad doctrinam publicam pertinentia, aut omninò præterierit: aut non satis plenè & perspicuè explicarit.

Ἐκεί γὰρ ὁ
Ἄναξαγόρας
ἔλεγε.

Quid verò peculiariter in decem libris de
Repub. reprehendit?

Quinq; sunt capita, quæ Aristoteles in decem libris Platonis de Repub. reprehendit: ex quibus præcipuum caput est de communione coniugum, liberorum, & bonorum seu facultatum.

Quot sunt partes refutationis de communione
Platonica?

Due. Primum enim refutat communionem uxorum & liberorum. Deindè refutat communionem bonorum & possessionum.

Sed quibus rationibus Plato adductus fuit, ut existimaret communionem omnium rerum in civitatem esse introducendam?

Duabus potissimum: quarum prima fuit, Quia existimavit, per hanc communionem, civitatem maximè posse uniri, seu ad unitatem redigi: per quã possit esse diuturna & stabilis. Nam quæ VNVM sunt, ea minus sunt interitui & corruptioni obno-

xia.

xia, quàm quæ sunt *MVLTÀ*. Ex hac ὑποθέσει Plato sic argumentabatur. Quicquid facit ut civitas maxime sit una, illud civitati est utile, & per consequens etiam est in civitatem introducendum. Sed communio coniugum, liberorum, & omnium aliorum bonorum facit, ut civitas maxime sit una, vel unita. Ergò communio hæc in civitatem est introducenda.

Quid ad hoc argumentum respondet Aristoteles?

Aristoteles in hoc cap. negat maiorem propositionem, seu ὑπόθεσιν Platonis, qua statuit unitatem civitati maxime esse utilem. Deinde in sequentibus duobus capitibus examinat minorem propositionem.

Quo pacto probat istam Platonis unitatem non posse utilem esse civitati?

Καίτοι φησὶ
μερὸν ἔστιν.

Tribus argumentis hoc probat. Quorū primum sumitur à contrario effectu. Unitas Platonica destruit civitatem. Ergò non est utilis civitatibus. Antecedens probatur ex definitione civitatis suprâ in lib. 1. traditæ: in qua dicitur, quòd civitas sit communio constans ex pluribus pagis, domibus, familijs & hominibus: quæ omnia adeò inter se & specie, & accidentibus differunt, ut non possint ad simplicem aliquam unitatē redigi. Imò si civitas ad eiusmodi unitatem reduceretur, non amplius esset civitas: sed
potius

potius una domus, qua si rursus ad maiorem unitatem restringenda esset, tandem fieret unus solus homo.

Οὐ μόνον
ἐὶ πλείονων
ἀνθρώπων.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ab impossibili, ex natura partium. Cuius partes sunt specie dissimiles: id non potest ad talem unitatem redigi, per quam omnis dissimilitudo tollatur: sed partes civitatis sunt inter se specie differentes. Ergo civitas non potest ad simplicem unitatem reduci. Minor declaratur primum distributione, & enumeratione diversarum partium, ex quibus civitas constat. Constat enim ex pluribus pagis, domibus, & familijs, constat etiam ex diversis hominum ordinibus, & vite conditionibus: quorum alij sunt ἀρχόντες, id est, in magistratu constituti, alij ἀρχόμενοι, subditi: alij nobiles, alij ignobiles: alij patricij, alij plebey: alij literati, alij idiotæ: alij opifices, quorum rursus sunt varia differentia, alij mercatores, alij agricolæ: alij senes, alij divites: & sic de ceteris hominum differentijs. Deinde declaratur minor per comparationem civilis societatis, cum societate confœderatorum & nationum: nam in hac spectatur multitudo hominum, solum quo ad numerum: qui quò plures sunt, eò sunt potentiores: in illa autem requiritur multitudo hominum, quorum vite conditio specie diversa esse debet, si modò altera alterius
indigentia

indigentia vellet succurrere. Tertio probatur minor à natura partium corporis compositi: quæ in omnibus rebus tam naturalibus, quàm artificialibus, specie inter se sunt dissimiles. Quarto probatur minor à iure Talionis, per quod Aristoteles in quinto Ethicorum asserit ipsas civitates contineri & consistere: undè sic videtur concludere. Ius Talionis est inter dissimiles, qui sunt per proportionem vel Arithmeticam, vel Geometricam ad equalitatem revocandi. Atqui ius Talionis necessarium est in civitatibus. Ergò in civitatibus sunt dissimiles personæ.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur à fine civitatis, qui est ἡ αὐτάρχεια, hoc est, rerum ad vitam necessariarum sufficiens copia: sicut in definitione civitatis dictum est. Argumentum est tale. Quicquid impedit, quò minus civitas finem suum possit assequi: id non est utile civitati. Sed Platonica unitas impedit finem civitatis, nempe τὴν αὐτάρχειαν. Ergò. Minor probatur, Quoniam civitates initio propterea fuerunt constitutæ: ut homines possent mutuis auxilijs sibi invicem succurrere, in ijs rebus quibus ad vitam commodius degendam indigebant: quæ quoniam variæ sunt & multiplices: ideò etiam à diversis hominibus sunt conquirendæ. Nam si omnes qui civitatem aliquam inhabitant,

essens

καὶ τοῖς τοῖς
 γε ἐκείνῃς
 ἀγαθόν

essent eiusdem conditionis: veluti si omnes essent pistores, aut textores, aut pictores, aut sartores, aut eiusdem alterius alicuius opificij: non possent sese mutuo multum invare. Hanc ob causam Aristoteles in lib. 5. Ethic. scribit, Civitas non constat ex medico, & medico: sed ex medico, & agricola. Et Plato in lib. 2. de leg. inquit, Nisi omnis generis opifices in unā eandemq; civitatem conveniant: nunquam poterit ea finem suum assequi: ut nimirum sit ἀυτάρκης, hoc est, omnibus rebus necessarijs satis instructa.

CAPVT II.

Ἀλλὰ μὲν
ἔστι ἐπὶ

Quæ fuit altera ratio, quæ Platonem permovit, ut existimaret communionem omnium rerum in civitatem esse introducendam?

Plato usus est argumento desumpto ab effectu: quod tale fuit. Per quam rem tollitur causa omnium discordiarum inter cives, ea civitati maximè est utilis. Sed per communionem omnium rerum, tollitur causa omnium dissidiorum inter cives. Ergò. Minorem probat: Quoniam si omnia sint communia, nemo poterit amplius privatim, & pro se solo dicere, hoc est MEUM, vel, hoc non est MEUM, sed TUUM. Item, hoc non est TUUM, sed MEUM. Sed omnes communiter poterunt dicere, hoc est MEUM: atq; hoc modo tollentur ex civitati-

civitatibus hæc duæ voces, MEUM & TUUM: ex quibus omnes propè inter homines existunt discordia, lites & controversiæ, tam in foro & iudicijs quàm privatim extra iudicia in quotidiana vita. Quibus sublatis, necesse est inter cives esse summum animorum consensum, & in civitate summam unitatem & concordiam.

Quid Aristoteles ad hoc argumentum respondet?

Τὸ γὰρ πᾶν
πῆρ, διτλὸν

Aristoteles primùm negat totum argumentum tanquam falsum & Sophisticum: deinde respondet ad ipsam communionem Platoniam, ostendendo illam minimè utilem esse civitatibus.

Quare argumentum Platonis dicit esse Sophisticum?

Quia laborat ὁμωνυμία, equivocatione, & propterea nihil certi concludit. Nam vocabulum πάντες OMNES, est ὁμόνυμον: solet enim duobus modis accipi & usurpari. Collectivè nimirum, & distributivè. Quando collectivè accipitur, tunc idem significat, quod σύμπαντες, id est, omnes simul comprehensi & intellecti: at quæ hi non possunt dicere, hoc est MEUM, sed debent dicere, hoc est NOSTRUM: verùm ita loqui, non multùm facit ad unitatē civitatis constituendam. Sin verò distributivè accipitur,

tunc

tunc vocabulum OMNES etiam ex omnibus singulos complectitur & intelligit: sed singuli illi non possunt verè & proprie de uno aliquo dicere, hoc MEVM: Nam hac ratione unius eiusdemq₃ rei plures constituerentur in solidum domini, quod est absurdum.

Quo argumento Aristoteles improbat communionem rerum Platoniam?

Ab effectu. Quæ res multa adfert civitatibus incommoda, ea non est in civitatem introducenda. Sed Platoniarum rerum communio, multa secum adfert incommoda. Ergò. Minorem probat enumeratione incommodorum, quæ videntur ex communi-
one illa consequi. Et primo loco in hoc cap. enumerat incommoda quæ existunt ex communi-
one uxorum & liberorum: In sequente verò cap. enumerat incommoda quæ oriuntur ex communi-
one bonorum, facultatum, & possessionum.

Quot sunt incommoda circa uxorum & liberorum communionem?

Octo. Quorum Primum est, quòd ista communi-
o secum adfert negligentiam circa educationem & institutionem liberorum. Partim quia plerunq₃ ea negligentius peraguntur, quæ pluribus communi-
ter sunt demandata. Partim verò, quia in tanta multitudi-
ne, & incertitudine liberorum, non potest
singulo-

singulorum adeo accurata & recta esse educatio & institutio.

Alterum incommodum est, quòd hæc commu-
nio abolet gradus cognationum & affinitatum, ac
tollit discrimina familiarum.

Tertio parit hæc communitio ignorantiam paren-
tum, propriorum liberorum, fratrum, sororum, a-
gnatorum, cognatorum, affinium.

Vnde consequitur Quartum incommodum, quòd
per istam ignorantiam sæpe perpetrantur maxima
scelera in consanguineos, ut parricidia, incestus, a-
dulteria, stupra.

Ex quibus sequitur Quintum incommodum:
quòd quia ista scelera per ignorantiam admittun-
tur: etiam non solent iusto modo ab hominibus ca-
stis puniri aut expiari: unde necesse est ut etiam di-
vinitus publicis calamitatibus, bello, fame, peste,
& similibus malis vindicentur: ex quibus tandem
consequuntur imperiorum, regnorum, & rerum-
pub. ruina, euerfiones, atq; interitus.

Sextum incommodum est, quòd per istam com-
munionem amor, qui debeat esse summus inter con-
iuges, parentes, & liberos, minuitur, quatenus co-
gitur se extendere ergà tam multos, & sic redditur,
ut Aristoteles inquit, quodammodo *ὕδαρς*, a quo-
sus, instar vini aut mellis, cui nimium aqua est ad-
mixtum.

Septimum incommodum est, quod necesse est ex ista communionem consequi confusionem ordinum & tribuum in Platonis repub. Siquidem ipse statuit, liberos sic natos, pro ingeniorum diversitate nunc in hanc, nunc in aliam tribum esse transferendos.

Postremo & octavo loco reprehendit Aristoteles, quod Plato communionem istam coniugum & liberorum solis magistratibus, & custodibus urbis, hoc est, militibus praesidiarijs concessit: reliquorum autem civium, ut agricolarum, opificum, mercatorum, & aliorum, nullam, quod ad hanc communionem attinet, quo pacto se habere debeant, fecit mentionem.

CAPVT III.

Ἐχόμενον
δὲ τέτων
ἔστιν.

Quæ est altera pars reprehensionis circa communionem Platoniam?

EA pertinet ad communionem bonorum, seu possessionum & facultatum.

Quotuplex hoc loco circa hanc communionem se offert quaestio?

Triples: partim quo ad κτήσιον, partim quo ad χησιον, partim quo ad utrunq̄. Vel enim queritur, utrum bona debeant esse propria, fructus verò communes. Vel utrum bona debeant esse communia, fructus verò sint distribuendi singulis, in suos privatos usus: vel utrum & bona, & fructus debeant

beant esse communia. *Quæ sententia videtur Platoni placuisse: quam propterea Aristoteles hoc loco impugnat & refutat.*

Quo argumento refutat Aristoteles communem bonorum Platoniam?

δηλοῖται ὅτι
οἱ τῶν κοινῶν
καὶ τοῦ ἀλλοτρίου
καὶ τοῦ ἐξωθεν
καὶ τοῦ ἐνδοθεν
καὶ τοῦ ἐξωθεν
καὶ τοῦ ἐνδοθεν

Quæ res multa & magna in se habet incommoda, ea non est in civitatem introducenda. Sed communio bonorum Platonica multa & magna habet incommoda. Ergo. Minor probatur à contrario. Proprietas bonorum multa habet commoda: Ergo communio bonorum habet multa incommoda.

Quæ sunt commoda proprietatis bonorum?

Quatuor. Primum, quia maiore studio, diligentia, & fide administrantur & peraguntur ea, quæ sunt propria, quàm ea quæ sunt communia aut aliena.

Deinde, quia circa eorum administrationem, rarò existunt querelæ: quia labores sunt distincti per certas personas.

Tertiò, quia de proprijs bonis possumus erga alios exercere liberalitatem, & beneficentiam erga amicos, hospites, egenos, & alios quoscunq̃.

Quartò, quia proprietas bonorum in se habet & voluptatem, & utilitatem. Siquidem propria ma-

gis nos oblectant nobisq² profunt: quàm aliena, aut communia.

Quæ sunt autem illa incommoda communionis bonorum, quæ ab Aristotele in hoc capite recensentur?

Primum incommodum, seu prima difficultas, existit circa distributionem laborum, & fructuum, in colendis communibus agris, & percipiendis eorum fructibus: in qua distributione non potest semper ea seruari equalitas, quæ omnibus placet: propterea quòd habendus est iam hac distributione respectus personarum, secundum proportionem Geometricam. Hinc autem ab hominibus imperitis varia solent oriri querela: quando vident interdum eos qui plurimum laborant, minus accipere: quàm eos, qui (ut ipsi arbitrantur) parum, aut nihil laborant.

Alterum incommodum est, quòd in omni communiione plerunq³ frequentes sunt lites & contentiones: propter diversitatem ingeniorum eorum, qui inter se communicant. Undè natum est apud Germanos proverbium, quo dici solet, Gemeinward nie rein.

Tertium incommodum est, quòd communiio Platonica tollit è civitate duas virtutes: nempe Temperantiam, quæ iubet abstinere ab alterius coniuge: hoc autem communiio Platonica concedit.

Deindè

Deinde tollit Liberalitatem, quæ præcipit, ut de proprijs nostris bonis alijs beneficiamus: in Platonis verò Repub. tollitur bonorum proprietas: igitur simul etiam tollitur Liberalitas. Qui enim de alienis, aut communibus bonis alicui benefacit: is propriè, & verè non dici potest liberalis.

Quartum incommodum est, quòd hæc bonorum communio sit quodammodo ἐν τῶν ἀδυνάτων, ex numero eorum, quæ non possunt haberi, aut revera constitui: quæ etiam videtur esse causa, cur per tot secula, antè, & post Platonem, à tam multis & prudentissimis legumlatoribus in nullam civitatem fuerit introducta: neq; etiam ab ullis populis recepta, & usurpata.

Quintum incommodum est, quòd Plato hanc bonorum communionem non satis dilucidè, distinctè, & plenè explicarit: quo pacto in singulis civium ordinibus sit instituenda. Videtur enim tantum de bonis & facultatibus magistratuum, & custodum urbis locutus esse: reliquorum autem civium, ut agricolarum, opificum, mercatorum, nullam facit mentionem: ex quo etiam patet, hanc eius doctrinam in hac parte esse mancã, & imperfectam, atq; ideò reijciendam.

Εὐπείρω-
πος μὲν ἔν,

Atqui videtur hæc Platonica communio esse εὐ-
πείρωπις, hoc est, splendida, καὶ φιλόφρων-
πις, hoc est, plena humanitatis?

*Verum quidem hoc est, præsertim si velimus con-
siderare, quot & quanta passim existant controver-
sæ, lites, & contentiones, circa bonorum & posses-
sionum proprietates, tam publicè in foro & iudicijs:
quàm privatim extrâ iudicia, in contractibus &
commercijis hominum: in quibus committuntur tot
doli, fraudes, periuria, furta, rapina, & multa alia
scelera: quorum nullum videtur posse locum habe-
re in communione bonorum. Sed sciendum est, isto-
rum iam enumeratorum malorum propriè causam
non esse τὴν ἀκοινωνήσιαν τῶν κτημάτων, id est, bo-
norum negatam communionem, sed potius τὴν μο-
χθησίαν καὶ πλεονεξίαν, perversitatem & avaritiam
hominum: quorum cupiditates circa eiusmodi ex-
terna bona sunt ἀπληστοί, nunquam possunt exple-
ri: undè fit, ut non contenti suis proprijs bonis, etiã
cupiant aliorũ bona ad se, per fas et nefas attrahere.*

Nullãne igitur prorsus communio bonorum in
civitate potest locum habere?

*Minimè. Sed est aliqua alia communio bono-
rum, multò honestior, laudabilior, & commodior:
plena virtutis & humanitatis, per quam nimirum
proprietates, & distinctio bonorum retinetur: usus
verò & fructus eorum efficiuntur communes, hac
nimirum*

nimirum ratione: quando de nostris proprijs bonis, etiam aliorum civium inopia & egestati succurrimus, eaq; in re animi nostri benevolentiam, & beneficentiam erga concives nostros declaramus: atq; hoc modo bona nostra simul & propria manent, & fiunt communia: quemadmodum de veris amicis dici solet: Amicorum omnia esse communia. De qua re Salomon in proverb. cap. 5. hoc tradit preceptum: Bibe aquã è tuis fontibus: rivuli tui foràs deriventur in plateas: at tu dominus esto horũ solus.

Habent prætereà, qui in eadem civitate habitant, multa alia communia: videlicet, Tempa, religionem, libertatem, curiam, iudicia, iura, suffragia, forum, porticus, flumina, pascua, & his similia: quibus communiter omnes uti ac frui possunt: per quæ civitas etiam aliquo modo communis, & una efficitur, citrà Platoniam communionem, & unitatem.

Haftenus explicasti, quo pacto Aristoteles refutat communionem Platoniam: sunt ne etiam quædam alia, quæ in Platonis Republica reprehendit?

Ἐπὶ δὲ κυ-
ρίαις ποιεῖ
τῶν κτη-
μάτων.

Aristoteles in hoc loco adhuc quatuor alia capita attingit, quæ videntur à Platone in suis libris de Repub. non usq; adeò benè esse constituta: quorũ primum pertinet ad agricolas: alterum est de officio virorum & mulierũ: tertium est de magistratibus:

quartum est de differentia ingeniorum in hominibus, desumpta à diversitate metallorum.

Quid reprehendit circa agricolas?

Tria. Primum est quòd concessit agricolis, ut possent habere proprios agros & fundos, ex quibus colligerent proprios fructus: quod ideo periculosum est, quia agricola hoc modo divites effecti, facile poterunt animos erigere, seq̃ suis dominis opponere: quemadmodum aliquando Lacedaemonijs, Creten- sibus, & Atheniensibus contigit, ab ipsorum colonis & servis,

Alterum quod circa agricolas in Platone reprehendit, est, quòd nihil de eorum disciplina, legibus, magistratibus & sodalitatibus tradidit.

Tertium est, quod liberum agricolis reliquit, ut communes, vel non communes haberent uxores: quam rem ostendit perniciosam esse rei domesticae.

Quid reprehendit circa officium virorum & mulierum?

Quòd eadem voluit esse eorum officia & exercitia, tam domi in urbe, quàm foris extra urbem in colendis agris: tam in pace, in administranda Re- pub, quàm in bello gerendo. Hoc saltem servato discrimine: ut ea quae plus prudentia & laboris requirunt, committerentur viris: leviora autem, & facilia, mulieribus, propter infirmitatem sexus.

Reprehendit

Ἀποπὸν δὲ
καὶ τὸ ἐκ
τῶν ἰσχυ-
ρων.

Reprehendit etiam similitudinem à bestijs desumptam, qua voluit hoc suum institutum probare, tanquam ineptam & absurdam: quemadmodum etiam Lactantius lib. 3. cap. 33. eam deridet.

Quid reprehendit circa Platonis magistratus?

Ἐπισφά-
λεις δὲ καὶ
τὰς ἀρχον-
τας.

Quòd semper eosdem voluit esse magistratus: hoc enim ait facile præbere causam & occasionem seditionibus: quando cæteri vident se planè à publicis illis honoribus & officijs esse exclusos: ac semper debere aliorum imperio esse subiectos.

Quid circa differentiam hominum reprehendit?

Ὅτι δὲ ἀ-
γαθαίων
αὐτῶν ποί-
εῖν.

Socrates apud Platonem in lib. 3. de Repub. Ingenia hominum comparat metallis. Fingit enim naturam aliquibus tribuisse aureum ingenium: at quæ tales plurimum valere prudentia: ideoque aptos esse ad gubernationem. Alijs verò argentum datum esse ingenium, qui sunt animosi & cordati: at quæ ideo apti ad militiam & defensionem urbis. Tertium verò genus esse eorum, quibus concessum est æneum & ferreum ingenium: qui propter robur & vires corporis apti sunt ad labores: at quæ ex his sumendos esse agricolas & opifices. Reprehendit prætereà, quòd per hoc suum institutum, de perpetuitate magistratum, privavit eos sua felicitate: dum vult eos per

omnem suam vitam in illis curis & molestijs administrande Reipub. esse occupatos: quibus certè & ingenij & corporis vires plurimum debilitantur & franguntur. Atq; hac ratione videtur Plato secum ipse pugnare, in eo, quòd vult totam civitatem esse beatam, & tamen precipuam eius partem spoliare istâ beatitudine.

CAPVT IIII.

Σχῆδον δὲ
παραπλη-
σίως ἔπε-
ει.

Quæ est tertia pars refutationis, seu reprehensionis Reipub. Platonicæ?

Tertia hæc pars reprehensionis Reipublicæ Platonicæ pertinet ad eius duodecim libros de legibus: in quibus Plato constituit alterâ suam Rempublicam describere, diversam quidem à prima illa, quam in X. libris de Reipub. descripsit: sed tamen faciliorem, & magis accommodatam ad presentem rerum humanarum conditionem pro ratione personarum, temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum.

Quomodo distribuit hanc refutationem?

In duas partes: quarum una est generalis, altera specialis.

Quid generatim Aristoteles in his XII. libris reprehendit?

Triaprecipue. Primum quòd multa in his libris

bris

bris Plato tradiderit πάρεργα ἢ μὴ ἀναγκαῖα, quæ ad constituendam bonam Reipub. formam proprie non pertinent: ea verò quæ magis necessaria & utilia fuissent, aut leviter solum attigerit: aut omnino præterierit. Deinde quòd nihil tradidit de tota forma optima Reipub. qualis esse, aut quomodo constitui debeat. Tertio, quòd cum sibi proposuisset novam aliquam formam Reipub. describere, quæ à priore diversa esset, tamen subindè relabatur ad illam primam, quæ magis optari, quàm haberi in hac vita potest: quemadmodum ipsemet in lib. 5. de Repub. fatetur.

Quæ verò sunt ea quæ speciatim in illis
XII. libris reprehendit?

Τὸ μὲν 3^{ον}
περιττον 4^{ον}
χ35^{ον}.

Eorum sunt sex capita seu instituta: quorum primum est de nimis magno numero τῶν φυλάκων, custodum seu militum presidiariorum, quibus custodia & defensio urbis sit committenda: requirit enim quinquies mille & quadraginta milites, qui semper in armis præsto esse debeant ad custodiendam & defendendam urbem, quibus si connumerentur eorum uxores & liberi, nimis erit magnus numerus otiosorum hominum in civitate.

Quod est alterum caput huius reprehensionis?

Λέγεται δὲ
ὡς δὲ τὰ
νομοθετῶν
πλῆθος

Alterum caput est, quòd Plato scripsit in constituenda

stituenda civitate duo solum esse spectanda, nempe locum in quo velimus eam constituere, & homines qui eam debent inhabitare: non autem mentionem facit vicinorū, qui circa civitatem habitant: quorum tamen consideratio quoque ad legislatorem & politicum pertinet: multum enim ad tranquillitatem & pacem civitatis confert, quales habeat vicinos: quemadmodum in Proverbio dicitur: Nemo potest diutius pacem habere, quam vicinus ipsius voluerit.

Quod est tertium caput?

καὶ τὸ πλῆ-
τος δὲ τῆς
κτησεως.

Tertium caput huius reprehensionis est de patrimonio, facultatibus, & possessionibus civium. Tria autem circa ista reprehendit in Platonis legibus. Primum, quod censuit quemlibet solum tantas debere habere opes & divitias, ut inde possit σωφρο-
νως, temperanter & frugaliter vivere: Liberalitatis autem nullam fecit mentionem, ut de suis facultatibus etiam possit erga alios beneficentiam & liberalitatem exercere: cum tamen ea quoque virtus sola & precipue ad verum usum divitiarum pertineat. Deinde quod cum definiere certum terminum divitiarum, quantas cuilibet habere liceret, non etiam simul determinaverit certum numerum liberorum, servorum & domesticorum: ne quis plures gigneret liberos, quam posset alere: aut quibus tantum patrimonij relinqueret, unde etiam ipsi vitæ
necessaria

necessaria habeant. Nam nisi hoc diligenter præca-
 veatur, facile poterunt aliqui ex civibus ad suam
 redigi paupertatem: qua ex re facile etiam possint
 existere inter eos offensiones, discordia, lites, & sedi-
 tiones. Tertio circa hoc caput reprehendit quòd
 voluit equalitatem esse bonorum & possessionum
 circa bona immobilia, cuiusmodi sunt agri, fundi,
 prædia, prata, edes, & his similia: circa bona verò
 mobilia, veluti sunt pecora, iumenta, pecunia, vasa
 aurea & argentea, & alia utensilia domestica, per-
 misit ea augeri in quadruplum.

Quod est quartam huius reprehensionis
 caput?

Ε' λέλει-
 πται δὲ
 τῆς νό-
 μοις.

Quartum caput pertinet ad magistratū in Pla-
 tonis Republica. In quo duo reprehendit. Vnum
 est de discrimine magistratū & subditorum: quòd
 minus apta similitudine, à tela textorum desum-
 pta, solū obiter indicavit, non autem satis expli-
 cavit. Dixit enim τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν ἀρχομένων
 differre, quemadmodum stamen differt à trama:
 quòd nimirum subditi sint instar staminis, id est,
 crassioris filii: ij verò qui imperium habent, instar
 tramae, quæ ex puriore filio constat. Alterum per-
 tinet ad rationem eligendi magistratum, quæ extat
 in sexto lib. de Legibus, ubi iubet magistratum eli-
 gendum esse per suffragia eorum, qui & ipsi antea
 per eiusmodi electionem in magistratum pervene-
 runt:

runt: hanc rationem eligendi ideò improbat, quia per eam fieri potest, ut ydem sapiens in magistratum deligantur: & hoc modo gubernatio & imperium sit tantum penes paucos, quod est Oligarchicum.

Καὶ τὴν
τῶν οἰκ-
πέδων.

Quod est quintum caput huius reprehensionis?

Quinta reprehensio est de incommoda distributione ædium seu habitationum. Plato enim in sua civitate civibus attribuit δύο οἰκόπεδα, hoc est, duas areas, in quibus possent binas domos extruere in diversa urbis parte, unam in media urbe, alteram circa extremitates urbis: hanc distributionem Aristoteles reprehendit tanquam incommodam ad rem familiarem bene & utiliter administrandam: siquidem difficile sit unam domum bene administrare: multo igitur difficilius & propè ἀδύνατον, binas domos, in diversis locis sitas, inhabitare, aut administrare.

Ἡ δὲ συν-
ταξις ὅλη
ἐβλίπεται.

Quid postremo loco reprehendit?

Plato suam rempub. quam in XII. libris de legibus descripsit, existimavit post Regiam gubernationem esse optimam inter reliquas formas rerumpub. Aristoteles verò hoc ipsum negat, & tali argumento probat. Ea forma reipub. post Regiam gubernationem censenda est optima, quæ ex omnibus bonis formis rerumpub. recte est temperata & composita. Declaratur exemplo Reipub. Lacedæmoniorum.

rum.

rum. Sed Platonis respub. in XII. libris de legibus
 descripta, non est ex omnibus bonis rerumpub. for-
 mis benè & rectè temperata & commixta. Ergò
 Platonis hæc respub. ab eo in XII. lib. de Legibus
 descripta, non est optima. Minor probatur, Quia
 videtur composita esse vel ex oligarchia & demo-
 cratia, vel ex tyrannide & democratia: quæ formæ
 cum omnes sint vitiosæ, nunquam possunt constitu-
 ere bonam Reipub. formam. Præterea ipsa mixtu-
 ra duarum prædictarum formarum videtur, non
 rectè & æqualiter esse temperata: quia eius Respub.
 videtur magis esse oligarchica: quod apparet ex ra-
 tione creandorum magistratum: quæ à Platone
 ita fuit constituta: ut electio solùm fieret ab ijs, qui
 etiam antea fuissent in magistratu: & ut huic ele-
 ctioni necessario semper interessent ditiores: paupe-
 ribus verò liberũ hoc relinqueretur: sic enim facile
 fieri poterat, ut semper ditiores ad eiusmodi honores
 & publica officia eligerentur: quod est oligarchicũ.

CAPVT V.

Quid reprehendit Aristoteles in ea Repub. quàm
 Phaleas quidam Chalcedonius de-
 scripserat?

Διὸ Φαλί-
 ας ὁ Χαλ-
 κηδόνιος.

DVo præcipuè in Phaleæ Republica reprehendit
 Aristoteles: unum est de æquatione seu æqua-
 litate bonorum & possessionum: sicut enim Plato
 voluit introducere bonorum communionem: ita Pha-
 leas

leas conatus est introducere in suam Rempublicam omniam bonorum æquationem: ne quisquam civium plures haberet possessiones & opes, quam alter: Alterum quod reprehendit est, quod opifices exclusit è numero civium: & hac ratione nimis exiguam fecit civitatem.

Quare Phaleas æquationem bonorum excogitavit?

Ut præriperet civibus suis causam invidia & æmulationis: quæ plerunq; solent inter homines exoriri, propter inæqualitatem bonorum: cùm vident alios ditiores & fortunatiores esse, quàm ipsi sunt: Quemadmodum Horat. ait: Invidus aliterius rebus macrescit opimis. Et homini invido semper videtur fertilior esse seges in alienis herbis: vicinumq; pecus grandius uber habere: ut scribit Ovidius.

ἐπὶ σωσιᾶ-
ζῆτιν ἔμῳ
107.

Potest né per istam æquationem bonorum invidia hoc modo præcaueri?

Aristoteles hoc circa finem capituli negat fieri posse: idq; propter diversitatem hominum: quorum alij sunt χαριεῖνες gratiosi, seu gratia digni alij verò sunt οἱ πολλοὶ vulgares & plebey. Nam οἱ χαριεῖνες qui virtutibus, nobilitate, dignitate, auctoritate, prudentia, eruditione & similibus alijs bonis, cæteris antecellunt, agrè ferunt, quando æquiparantur τοῖς πολλοῖς, id est, cæteris qui eius-
modi

modi dotibus illis longè sunt inferiores. Existimant enim hoc esse contrà regulam iustitiæ: quæ iubet, inæquales etiam inæquali loco esse habendos.

Quæ sunt autem illa, quæ Aristoteles in Repub. Phalææ circa æquationem bonorum reprehendit?

Δεῖ δὲ μὴ
δὲ τοῦτο
λατάνειν.

Quinq; Primum est, quod non etiam sanxit æqualitatem liberorum, quo ad numerū, tenendam esse. Nam si is, qui multos habent liberos, non plures possessiones & opes sunt concedenda, quam is qui paucos, vel nullos habent liberos: quin illi facile redigentur ad egestatem & inopiam: quod sanè periculosum est in civitatibus: quoniam egestas & paupertas sæpè præbuit causas turbarū & seditio- num in Rebuspub. Hanc ob causam etiā prudentes Legumlatores conati fuerunt legibus quibusdam præcavere, ne ex civibus aliqui nimium ditescerent, alij verò ad extremam paupertatem redigerentur: quod Aristoteles quatuor Exemplis declarat.

Quod est alterum vitium?

Ἄλλ' εἰς τὸ
πλὴν ἰσότη-
τος.

Quod Phalæas nihil statuit de mediocritate, quæ circa opes & divitias est servanda: cū tamen sine ea neq; recta possessio, neq; verus divitiarum usus esse possit.

Quod est tertium vitium seu erratum?

Ἐπὶ δὲ εἰ
πρὸς τὸ
μετρίαν.

Quod nihil præcepit de frenandis & moderandis

H

cupiditatibus circa pecunias, honores, & voluptates: nisi enim istæ cupiditates legibus, & pœnis, atq; supplicijs coërceantur, & castigentur: frustra traduntur præcepta de æquatione honorũ. Sunt enim omnium discordiarum & dissensionum, imò omnium propè malorum hæ tres præcipuæ cause, nempe cupiditas opum, id est, Avaritia: honorum, id est, Ambitio: & voluptatum, id est, Libido, seu Luxuries.

Et sanè de Avaritia Cic. in Oratione pro Quintio sic scribit: Nullum est officium tam sanctum atq; solenne, quod non avaritia comminuere atq; violare soleat.

De Ambitione autem lib. 1. Offic. Maximè adducuntur pleriq; homines, ut eos Iustitia capiat oblivio, cum in Imperiorum, & honorum, gloriæque cupiditatem inciderint.

De Libidine deniq; in Catone maiore. Ex voluptatis nimia cupiditate existere solent Patriæ prodictiones, rerum pub. everfiones, clandestina cum hostibus colloquia. Nullum deniq; scelus, nullum malum facinus est, ad quod suscipiendum, non libido voluptatis homines impellit.

ἐπὶ τοῖς πολλοῖς
ἀλλὰ βέλτε-
ρα.

Quid quarto loco reprehendit in ista æquatione bonorum?

Quòd Phaleas hanc bonorum æquationem solum accommodavit ad suos cives, quo pacto possint

sint

sint domi tempore pacis inter se concorditer vivere: non autem consideravit, quo pacto tempore belli civitas instructa esse debeat sumptibus bellicis adversus vicinos, aut externos hostes: si necessitas postulaverit, ut cogatur ad aliquod tempus bellum vel sustinere, vel gerere, vel etiam ab urbe avertere & propulsare.

Quid quinto loco reprehendit in hac constitutione Phalææ?

ὁμοίως δὲ
καὶ τῆς
κτίσεως.

Quòd planè nihil certi defini vit, quantæ debeant esse opes & facultates civitatis: ut neq̄, nimis sint magnæ & splendida, quæ facile possint animos vicinorum spe magna alicuius prædæ consequenda, allicere, ad inferendum civitati bellum: neq̄, etiam nimium sint tenues & exiguæ: quæ non sufficiunt ad faciendos publicos sumptus nomine civitatis.

CAPVT VI.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

Examinat Aristoteles in hoc capite Rempub. ab Hippodamo Milesio descriptam: & quid in eius legibus atq̄, institutis probandum aut improbandum videatur, indicat.

Ἰσχυροδὰ-
μος δὲ ἐυ-
εφάρσιος.

Quot sunt partes huius Examinis?

Duæ: prima continet commemorationem aliquot Legum & institutorum Hippodami. Altera

continet eorundem refutationem aut reprehensionem.

Quæ fuerunt igitur eius leges & instituta?

Duplicia, quædam enim pertinent ad materiã, quædam verò ad formã civitatis. Circa materiam considerantur primùm ipsi homines, qui civitatem debent inhabitare: deinde ἡ χώρα, hoc est, ipse locus, in quo civitas est extruenda: ipsiq; agri qui sunt circa civitatem siti. Circa formam consideratur ipsa ratio gubernationis, item leges, iudicia, magistratus.

Καταπέ-
υαζε δὲ
τὴν πόλιν.

Quæ fuerunt eius leges quo ad materiam civitatis?

Primò, Civitatem voluit esse τῷ πλήθει μυριάσδων, id est, constare ex decem millibus civium.

Secundò, Civium constituit tres ordines, Agricolas, Opifices, & Milites.

Tertiò, Agros circa civitatem distinxit in tres partes: ita ut aliqui essent sacri, sive Dii & divino cultui dicati: alij publici seu communes, ex quibus alerentur ij, qui publica civitatis negocia administrarent: alij deniq; privati & proprij, ex quibus agricola victum suum haberent.

Ὡς εἶτο δὲ
εἶδη καὶ ταῖν
νόμων.

Quæ fuerunt eius instituta quoad formam Civitatis?

Primò: Tria solum constituit iudicia: unum de iniuria: alterum de damno: tertium de cæde.

His

His addidit unum supremum tribunal ex senibus quibusdam delectis constitutum, ad quod posset fieri provocatio in causis non satis rectè iudicatis.

Secundò, Novam introduxit rationem ferendorum suffragiorum & dicendarum sententiarum: nempe per tabellas, in quibus singuli Iudices unica solum inscripta litera suam sententiam indicarent.

Tertiò, Legem tulit, ut si quis utile aliquid Reipublice invenisset, premio afficeretur.

Quartò, Censuit eorum liberos, qui in bello pro Repub. fortiter occubuissent, ex publico arario alendos esse.

Quintò, Magistratum ab omnibus civium ordinibus eligendum esse, ab agricolis, opificibus, & militibus.

Sextò, Eorum qui in magistratū eliguntur officium esse, ut curam haberent primū omnium publicorum negotiorū, quæ totam civitatem spectant: deinde peregrinorum & hospitem, ne à civibus iniuriam aliquam, vim, aut fraudem patiantur. Tertiò, Orphanorum, qui parentibus essent orbati: ut etiam illi rectè educarentur & instituerentur.

Quæ sunt autem ea, quæ Aristoteles in his institutis Hippodami reprehendit?

Ἀπορίσθε
ὁ ἄνθρωπος
πρώτον.

Primū reprehendit distributionem Hippodami, quantum ad cives & agros attinet. Nam circa civiū distributionem tria reprehendit. Primū,

H 3

quòd omnes tres ordines, nempe Agricolas, Opifices, & Milites voluit aequè pro Civibus esse habendos: & tamen noluit eos aequè esse publicorum honorum & officiorum in civitate participes: Qua ex re necessario sequitur, ut neq; ipsi inter se, neq; ergà Civitatem & Rempub. pari amore & studio sint affecti. Undè tandem quoq; necesse est exoriri simultates, offensiones, dissensiones, & postremo etiã seditiones. Quod verò ad agrorum distributionem attinet, reprehendit, quòd tertiam partem agrorum fecit communem, è quibus custodes civitatis alerentur: non autem disertè desinivit, à quibus communes illi agri debeant coli, utrum à solis agricolis, an verò etiam à militibus seu custodibus. Nam si à solis agricolis coli debent: non poterunt ipsi tantam copiam fructuum colligere, qua utrisq; alendis sufficiat: si verò etiam à militibus coli debent: nulla aut exigua erit inter hos duos ordines civium differentia: & sic potius duos solum ordines civium, quàm tres, debuisset facere.

Οὐ καλῶς
ἐστὶν ὅ
τι τῆς
κρίσεως.

Secundò reprehendit legem Hippodami, per quam novam voluit introducere rationem ferendi suffragia & dicendi sententiã in iudicio: nimirum quòd singulis iudicibus tribuit tres tabellas, per quas unicã solum literã inscriptã suam indicarent sententiam: præcipuè verò, quòd iudici tribuit tertiam tabellam, per quam ipsum reum neq; condemnaret,

mnaret, neq₃ absolveret, sed mediam teneret ratio-
 nem: atq₃ hoc pacto ex iudice fecit arbitrum, cu-
 ius proprium est ex aequo & bono mediam ingredi
 viam, & neutram partem litigantium omnino vel
 absolvere, vel condemnare. Atq₃ sic sustulit discrimen,
 quod est inter iudicium & arbitrium, item
 inter iudicem & arbitrum: de quo apud Cic. in
 Oratione pro Q. Roscio Comædo sic legitur. Aliud
 est iudicium, aliud est arbitrium. Iudicium est pe-
 cuniæ certæ, arbitrium est incertæ. Ad Iudicium
 hoc animo vivimus: ut totam litem aut obtinea-
 mus, aut amittamus. Ad arbitrium hoc animo
 adimus: ut neq₃ nihil, neq₃ tantum, quantum po-
 stulavimus, consequamur. Atq₃ hinc est, quod in
 iudicio arbitrario permissum est ipsis arbitris κοινο-
 λογι̃δαι, id est, consilia inter se conferre & commu-
 nicare: in iudicio autem forensi ista κοινολογία, con-
 siliorum & sententiarum communicatio planè est
 prohibita: sed Iudex tenetur simpliciter secundum
 allegata & probata, litigantium sententiam pro-
 nunciare.

Tertiò reprehendit legem eam, quâ statuit eos, Περὶ δὲ
 qui publicæ utilitatis gratia novum aliquod inven- τῶ τοῖς εὐ-
 tum excogitassent. Quam legem affirmat prima εἰσκασι̃τε.
 quidem facie esse εὐόφθαλμον speciosam: sed tamen
 revera periculosam: primū quia præbet occasionem
 calumnandi, mutandi, & abrogandi veteres leges:

H +

tanquam essent mala & pernicioſa. Vnde etiam paulatim tota Reipub. forma poteſt mutari. Deinde quia hac lex movet in animis hominum hanc dubitationem, ſeu quaſtionem: utrum liceat antiquas & patrias leges aliquando corrigere, mutare, aut prorsus abrogare: ex qua dubitatione plurimū frangitur, & imminuitur legum authoritas.

Επειδὴ
πεπονήμεε
θα.

Quid Aristoteles de hac quaſtione iudicat?

Aristoteles quaſtionem de legum mutatione disputat in utramq; partē affirmando & negando.

Quomodo affirmando?

Quinq; argumentis. Primum ab exemplo simili ceterarum artium: si in ceteris artibus licuit interdum quaedam praecepta corrigere, & mutare, donec ad perfectionem aliquam perducerentur: igitur idem etiam in doctrina politica, ad quam leges proprie pertinent, licet pro ratione circumstantiarum facere. Sed antecedens verum esse testatur ipsa experientia: quod nimirum artes & scientiae non statim simul fuerint inventae, & perfectae: sed habuerunt sua incrementa, per quae paulatim quaedam auferendo, quaedam addendo, quaedam deniq; immutando, ad suam perfectionem & absolutionem pervenerunt. Declarat hoc Aristoteles exemplo artis medicae, & gymnasticae.

Alterum argumentum sumitur ex loco comparato-

parato-

paratorum à pari. Si licuit veteres leges corrigere, mutare, & abrogare, propterea quòd viderentur vel nimis barbare, vel illis temporibus minus accommodata: igitur licebit etiam novas leges mutare, si minus conveniunt nostris temporibus, personis, locis, alijsq; circumstantijs. Sed antecedens est verum: probatur duobus exemplis. Ergò.

Tertium argumentum à fine legum. Si finis legum esse debet salus populi, & utilitas Reipub. igitur si aliqua leges sunt, quæ illum finem non amplius spectant, neq; adferre possunt: meritò sunt vel corrigendæ, vel mutandæ, aut omninò abrogandæ. Magis enim presentis Reipub. status, conditio & utilitas, quàm maiorum consuetudo est spectanda.

Quartum argumentum à legum qualitate. Quæ inepta & stulta sunt, ea licet corrigere & mutare. Sed multe antiquæ leges fuerunt ineptæ & stultæ, utpotè à primis hominibus, qui fuerant simplices & agrestes, latæ. Ergò licuit illas leges corrigere & mutare. Minor probatur ex fabulis poëtarum, qui propter primorum hominum simplicitatem & ruditatem, sinxerunt eos fuisse è terra aut ex lapidibus natos, unde etiã γησευεις & λαοι fuerunt dicti.

Quintum argumentum à legum defectu. In quibus est aliquis defectus, & quæ sunt imperfecta: ea licet corrigere & perficere. Sed in legibus scriptis sæpè reperitur aliquis defectus. Ergò leges

H 5

scriptas licet corrigere, & perficere. Minor probatur. Quia leges uniuersaliter scribuntur, neq; possunt omnia singularia complecti.

Ἄλλου δὲ
πρόπου ἐ-
πιστηθῆ-
σιν.

Quibus argumentis Aristoteles probat Leges non esse mutandas?

Duobus: quorum unum sumitur ab effectu per comparationem. Cuius rei mutatio plus mali & damni Reipub. adferre potest, quam boni & commodi, ea non est mutanda. Sed legum mutatio plus mali, quam boni, Reipub. adferre potest. Ergo leges non sunt mutandæ. Minor probatur, Quia unius legis mutatio, omnium reliquarum legum auctoritatem frangit, & minuit: introducit etiam malam consuetudinem, per quam homines assuescunt paulatim leges contemnere, aut mutare: quæ res admodum pernicioosa est Reipub.

Alterum argumentum contra legum mutationem continet refutationem similitudinis, quæ paulo antea in primo argumento fuit allata. Ostendit enim magnam esse dissimilitudinem inter præcepta artium & leges politicas. Primum enim artium præcepta suam veritatem & certitudinem habent ex seipsis, & confirmatam pluribus rationibus & exemplis: ac referuntur solum πρὸς τὴν θεωρίαν, ἢ γνῶσιν. Legum autem veritas & certitudo pendet à longo usu, consuetudine, & experientia hominum; ac referuntur πρὸς τὴν πράξιν. Deinde
unius

unius legis mutatio, aut abrogatio frangit atq; imminuit apud homines imperitos, etiam reliquarum legum vim & auctoritatem, qui existimant, si impune licet unam legem mutare aut violare, etiam licitum esse reliquas violare. In artibus verò possunt interdum quaedam præcepta corrigi aut mutari, salvâ permanente veritate & certitudine reliquorum præceptorum. Tertio legum mutatio est difficilis, quia longo tempore, & diuturnâ consuetudine, quæ transit in naturam, sunt ita confirmate, ut sine magno motu, non facile possunt mutari, aut penitus abrogari. Artium verò præcepta pleraq; solum rationibus quibusdam probabilibus nituntur: quæ allatis melioribus rationibus, sine periculo possunt mutari.

CAPVT VII.

DE LACEDÆMONIORVM
Republica.

Examinat Aristotel. in hoc capite Rempub. Lacedæmoniorum seu Spartanorū, quam præcipuus & maxime celebris legislator Lycurgus dicitur constituisse: quæ etiam illis temporibus habita fuit laudatissima, teste etiam Cicerone, qui in Oratione pro L. Flacco his verbis eam commendat. Adsunt, inquit, Lacedæmonij, cuius civitatis spectata, ac nobilitata virtus, non solum natura corroborata,

Περὶ δὲ
τῆς Λακε-
δαίμονιας
πολιτείας.

roborata, verum etiam disciplina putatur: qui soli in toto orbe terrarum septingentos iam annos, & amplius, unis moribus, & nunquam mutatis legibus, vivunt.

Quot sunt præcipua capita eorum quæ Aristoteles in hac Repub. reprehendit?

Novem. I. De servorum apud eos conditione. II. De mulierum licentia & luxuria. III. De patrimoniorum & possessionum inæqualitate. IIII. De liberorum procreatione. V. De Magistratibus. VI. De publicis convivijs civium. VII. De præfectura navali seu classica. VIII. De universa legum constitutione, & scopo. IX. De publico.

Quæ fuit servorum conditio apud Lacedæmonios?

Lacedæmonij expugnato & destructo oppido HELO, incolas omnes captivos secum in suam regionem abduxerunt, unde etiam ειλῶτες fuerunt appellati, eosque in vicinos pagos iuxta urbem distribuerunt: ut eorum opera, & servitijs in colendis agris, atque alijs laboribus similibus expediendis uterentur: quò ipsi interea à talibus laboribus immunes, melius & commodius possent publicis civitatis negocijs administrandis vacare: & ad bellicas expeditiones in amplificando suo imperio esse paratiores, minusque impediti.

Quare

Quare Aristoteles hoc Lycurgi institutum improbat?

Εἰς αὐτὸν δὲ
εἰ μὴ δὲ ἴ-
τερον.

Propter duas precipuè causas. Primum quia est aliquo modo civitati periculosum. Quia tanta multitudo servorum extra urbem habitantium, facile vel inter se, vel cum vicinis hostibus, potest conspirationem adversus cives, qui urbem inhabitant, facere: quemadmodum aliquando Thessalis accidit, à suis servis, quos ἀπὸ τῆς πενίας, à paupertate, πενίας appellarunt: idem quoque ipsis Lacedæmoniis contigit: cum ipsorum servi sese adiunxissent Messeniis eorum hostibus.

Deinde reprehendit hoc institutum Lycurgi, quòd nihil præcepit de servorum disciplina, quo pacto sint in officio retinendi, & quomodo tractandi: ne vel per indulgentiam petulanter & contumeliosè adversus suos dominos efficiantur: vel per nimiam severitatem suorum dominorum adversus ipsos exasperentur, seseque illis opponant: ita ut non minus quàm hostes sint metuendi.

Quid circa mulieres in Lacedæmoniorum Re-
pub. Aristoteles reprehendit?

Εἴτι δὲ ἢ
σεὶ τὰς
γυναῖκας
ἀνεστῆ.

Liberiorem vivendi rationem, & nimiam licentiam quam sibi assumebant, propter virorum absentiam: qui perpetuis ferè bellis, conservandi & amplificandi sui imperij studio, erant in castris ex-
tra ur-

trâ urbem occupati. Ex hac enim licentia mulieres Lacedæmonia efficiebantur intemperantes, & luxuriosa in victu, vestitu, ornatu & cæteris voluptatibus: unde sequebatur etiâ avaritia in conquirendis opibus & pecunijs, quæ sunt voluptatum ministra: quæ vitia etiam postea persuaserunt in eorum maritos, ut redderentur molles, delicati, & effæminati: adeò ut tandem amiserint cum imperio, omnem authoritatem, quam apud Græcos, & alias gentes habuerant, & verum factum sit Oraculum, quod Apollo ipsis responderat: Spartam nulla alia re, nisi avaritia perituram: ut refert Cicero lib. 2. Offic. & Plutarchus in Laconicis, ἡ φιλοχρημαλίη ἰν' Ἑλλάδι πάντων ὀλέει, ἄλλο δὲ τ' ἔστιν. Quæ omnia aduersabantur scopo Lycurgi legislatoris ipsorum: cuius consilium fuerat, talem formam Reipub. in urbe Spartana constituere, per quam tota civitas efficeretur virtutis studiosa, & per consequens etiâ beata. Cùm autem mulieres Spartanae, quæ sunt propè dimidia pars civitatis, talibus vitijs laborarent: non potuit tota civitas propter virtutis studium revera felix & beata prædicari.

Μετὰ γὰρ
τὰ ἄν ῥη-
θέντα.

Quid circa patrimoniorum & possessionum distributionem reprehendit in Lycurgi legibus?

Τῆς ἀνωμαλίαν, inequalitatem honorū: quòd aliqui nimis multos, aliqui autem nullos, aut admodum

modum

modum paucos haberent agros: ita ut aliqui viverent in summa copia & abundantia rerum, aliqui verò extrema premerentur egestate. Etsi enim Lycurgus initio agros civitatis equaliter inter cives suos distribuisset: & ut ista equalitas servaretur, lege prohibuisset, ne cui liceret agros suos vendere, aut ab alijs agros emere: tamen quia permisit, ut posset aliquis alteri partem aliquam suorum agrorum donare, aut filie nubenti dotis loco dare, aut etiam testamento alteri legare: ideo factum est ut per istas donationes, & dotes, patrimonia nō minus imminuerentur, aut ad alias familias transferrentur, quàm per emptiones & venditiones. Hinc ergò postea consecuta est ista patrimoniorum et possessionum ἀνωμαλία, inaequalitas: ut aliqui inde efficerentur ditissimi, aliqui verò redigerentur ad summam paupertatem.

Quid circa liberorum procreationem reprehendit?

Lycurgus volens suam civitatem per liberorum procreationem efficere populosam, ut esset civiū magnus numerus: legem tulit ut is qui tres genuisset filios liber esset ab excubijs & custodia urbis: qui verò quatuor aut plures filios suscepisset, prorsus ab omnibus publicis muneribus & oneribus esset immunis. Præterea, ut Plutarchus in vita Lycurgi refert, legem tulit: ut iuvenes illis senibus, qui nul-

lum

ὁ πεντακτοῦ
δὲ καὶ ὁ πε-
εἰ τὴν τε-
κνοποιίαν
νόμος.

lum civem patrie genuissent, non debitum honorem exhiberent. Hoc institutum Lycurgi, Aristoteles reprehendit, quia etiam adversatur equalitati patrimoniorum & possessionum: per qua multitudinem liberorum quoque imminui, & ad inequalitatem redigi necesse est: ita ut non solum parentes, verum etiam ipsorum liberi efficiantur pauperes, & hoc modo civitas repleatur multis pauperibus civibus: quod non solum vitiosum, verum etiam periculosum est Reipub.

Ἀλλὰ μὴν
καὶ τὸ ἐπι-
πλὴν ἐφο-
ρείας.

Quid Aristoteles quinto loco reprehendit in Lycurgi Reipub.?

Distributionem Magistratum: Nam tres ordines sive species constituit magistratum. Prima species dicebatur ἐφορεία, inspectio, qui magistratus constabat ex quinque viris ex plebe per sortem electis. Altera species fuit ἡ γερουσία, Senatus: qui constabat ex 28. senibus, ex optimatibus electis. Tertia species fuit ἡ βασιλεία regia potestas duorum videlicet summorum virorum, qui nominabantur βασιλεῖς, & eligebantur ex duabus certis familijs, Herculis nimirum, & Aristodemi.

Quæ reprehendit circa ἐφορείαν?

Quinq₃. Primum: Quod hic Magistratus, cuius summa erat auctoritas & potestas, per sortem eligeretur, ex universo populo: unde fiebat, ut interdum

terdum homines imperiti et pauperes ad hunc Magistratum pervenirent: quod valde periculosum est in civitatibus. Etenim imperiti non possunt recte de gravioribus causis iudicare: pauperes verò facile possunt corrumpi largitionibus.

Deinde, quòd Ephorum potestas propè erat tyrannica: nam à cæteris magistratibus, ad ipsos fiebat provocatio: unde factum est, ut etiam ipsi reges, & Senatores cogerentur eos venerari.

Tertiò, quòd Ephorum electio non fieret bono modo, sed propè pueriliter & ridiculè.

Quartò, quòd Ephoris qui plerunq; fuerunt homines imperiti & plebey, permisit potestatem iudicandi de gravissimis causis & controversiis.

Quintò, quòd cum ipsi essent quasi censores morum, & admodum duri & severi, in aliorum vitijs observandis & castigandis: ipsi tamen intere à laetè, splendide & dissolutè viverent, contra severitatem disciplina Laconicæ.

Quæ reprehendit in altero Magistratu, qui nominatur *γεροσία*?

Tria. Primum, quòd hic Magistratus erat perpetuus, adeò ut etiamsi aliquis vel propter senectutem, vel propter morbum factus esset inutilis: tamen non licebat eum removere, aut in eius locum alium substituere.

Deinde, quòd erat ἀνείδυνος, id est, immunis à

ἔχει δὲ καὶ
τὰ αἰεὶ
τὴν τῶν
γερόνων.

reddendis rationibus eorum, quæ aliquis in hoc magistratu gessisset.

Tertio, quòd inepto & propè puerili modo, in senatum hunc eligerentur.

ὅτι δὲ βασιλείας, εἰ μὴ μὴ βέλπιον.

Quid reprehendit in tertio Magistratu,
ἐν τῇ βασιλείᾳ?

Unicum hoc reprehendit in tertio Magistratu, quòd Lycurgus voluit, ut solum ex duabus familijs, ab Hercule oriundis, reges isti elegerentur: at quæ hac ratione videatur regnum illud hereditario iure per successionem ad posteros Herculis voluisse transmittere: cum tamen in eligendis magistratibus, virtus potius & prudentia consideranda sit, quàm genus & familia.

Ὅτι καλῶς δὲ εἰδὲ περὶ ταῦτα.

Quid reprehendit in publicis convivijs
Lacedæmoniorum?

Circa publica convivia, quæ Lycurgus apud Lacedæmonios instituit, & ἀπὸ τῆς φειδέως, à parsimonia, φιλίδια, appellavit, reprehendit Aristoteles, quòd voluit, ut etiàm pauperes, si modò cupiant publicorum honorum & officiorum esse capaces, sumptus præfinitos ad illa convivia contribuerent: quæ contributio quoniam illis erat difficilis, & molesta: ideò etiàm non potuerunt hilari & leto animo ad ea accedere, & cum ditioribus civibus eadem celebrare. Itaque existimat sumptus illos pro pauperibus ex
publico

publico arario sumendos esse, sicut Cretenses facere consueverunt. Hoc enim ad concordiam & mutuam civium benevolentiam fovendam, plurimum profuturum: siquidem propter hanc precipue causam talia convivia olim fuerunt instituta.

Quid circa ναυαρχίαν, id est, praefecturam navalem seu classicam reprehendit?

Τῶν δὲ περὶ τῆς ναυαρχίας νόμων.

Quod praefecto classico summa tribuebatur potestas extra urbem in bello navali: adeo ut esset quasi tertius quidam rex apud Lacedaemonios, & oppositus duobus urbanis regibus: Qua ex re facile poterant exoriri dissensiones: nam periculosum est, si pluribus nimia in civitate potestas conceditur. Plerumque enim inter tales solet existere quedam dissimulatio.

Quid circa πῶς ὅλην σύνταξιν, id est, universam Reipub. Laconicae constitutionem reprehendit?

Καὶ ὡς δὲ τῆς ὑποθέσεως τῆς νομοθεσίας ἐπιμησοῦσιν ἅν τις.

Aristoteles in hoc loco & infra in lib. 7. cap. 14. universam Reipublicae Laconicae constitutionem eo potissimum nomine reprehendit: quod videretur ad unam solum scopum esse directa: nimirum ut cives eius possent pluribus dominari, & imperium suum longè lateque dilatare. Ideoque unam solum virtutem excolebant, nempe fortitudinem bellicam: eamque non propter se, sed solum ut per eam efficerentur aliorum domini. Ad virtutes verò pa-

cis, cuiusmodi sunt, prudentia, iusticia, equitas, temperantia, modestia, liberalitas, parsimonia & similes alia virtutes, non erant assuefacti. Vnde factum est, ut in bello quidem viderentur esse egregij & utiles: pacis verò tempore inutiles, luxuriosi & ignavi, & effœminati: quibus vitijs cùm in ocio & pace dediti essent, tandem & seipsos perdiderunt, & imperium suum iterum amiserunt: ita ut de illis vulgò dici solebat, Lacedæmonios nosse quidem vincere, nescire autem victoriã uti.

Quid reprehendit circa ærarium Lacedæmoniorum?

Φαύλας
 ἢ ἔχει καὶ
 αὐτὸ τὸ
 κριναὶ χεῖ-
 ματα τοῖς
 Σπαρτιά-
 ταις.

Postremum, quod Aristoteles in Lycurgi Repub. reprehendit, est, Quòd videtur nullam habuisse rationem & curam ærarij & publicæ pecunie, quo pacto colligenda & conservanda sit ad publicum civitatis usum: cum tamen cogherentur subindè maxima bella gerere: quorum nervus pecunia esse dicitur. Neq; verò solùm eius usus est ad comparandum apparatus bellicum & ad muniendam civitatem mœnibus, propugnaculis, fossis & aggeribus: Verùm etiam extra tempus belli, ad plurimas alias & maximè necessarias res opus est civitati pecunia: maximè verò ad coëmptionem & repositionem frugum, aliorumq; victualium, de quibus in annone caritate, civium inopia est succurrendum. Item ad extruenda, & sarta tecta conservanda publica civitatis

vitatis edificia: ut sunt templa, palatia, Basilica, curie, tribunalia, theatra, therma, porticus, aqueductus: Item ad servandas publicas vias: ad reficiendos & conservandos pontes, & fontes: ad obeundas civitatis nomine legationes, aut legatos, hospites, & peregrinos honeste excipiendos. Deniq; ad infinitos prope alios usus, in quibus necesse est, civitatem pecuniâ instructam esse. De quibus omnibus quoniam Lycurgus nihil præcepit: merito videatur alicui, eius Respub. nõ perfectè esse descripta.

CAPVT VIII.

DE CRETENSIVM REPUBLICA.

Quid agit Aristoteles in hoc capite?

Comparat Cretensium Rempub. cum Laconica: eaq; comparatione ostendit quid habeant inter se simile & dissimile: Ex quibus etiam hoc obiter intelligitur Lycurgum in constituenda Lacedæmonum Respub. multa à Cretensium institutis sumsisse: & aliquo modo correxisse.

Ἡ δὲ Κρη-
τικὴ πολι-
τεία, πεί-
ρα γὰρ μὴ
ἴσῃ

Quæ sunt illa in quibus duæ hæ Respub. conveniunt?

Quatuor. Primum pertinet ad culturam agrorum: in qua utraq; Respub. utitur in ea re opera servorum. Nam quemadmodum Lacedæmonij agros suos colebant per servos, extra urbem sparsim

in pagis habitantes, quos εἰλωτας nominarunt: ita etiam Cretenses suos agros per vicinos colonos ipsorum dominio subiectos: quos περιόικας appellarunt.

Deinde conveniunt etiam quo ad publica convivia, quae cives certis anni temporibus simul celebrabant, ea quoque ab illis peculiari vocabulo ἀνδρῖα nominabantur.

Tertio conveniunt in eo quod eosdem ferè habebant Magistratus. Nam quemadmodum apud Lacedaemonios Magistratus divisus erat in tres ordines: in Ephoros, Senatores, & duos Reges: ita etiã apud Cretenses erant primum ij qui dicebantur κόσμοι, quasi κοσμήτορες τῆς λάας, quorum officium erat providere ut omnia in Repub. bono ordine, & decenter administrarentur. Deinde Senatorum in utraq; Repub. par fuit auctoritas, & idem officium. Tertio habuerunt etiam Cretenses initio suos reges: quorum tamen auctoritas & dignitas postea ad Cōsmos fuit translata: qui in expeditionibus bellicis, regum vices egerunt.

Quarto quod ad publicas conciones & deliberationes attinet, etiam in eo conveniunt haec duae Respub. quod omnibus pariter concessum erat illis interesse: sed tamen apud Cretenses nihil licebat decernere, nisi quoque a Cōsmis & Senatoribus fuisset approbatum.

In quibus

In quibus differunt hæ duæ Respublicæ?

Τὰ μὲν ἐν
τῶν (ὁμοτι-
τιῶν ἕνεκα
ἐέλπιον.

In duobus. Primum circa publica convivium, quæ apud Cretenses ideò melius quàm apud Lacedæmonios fuerunt constituta: quod apud Cretenses ex publica pecunia illa celebrarent, ita ut planè nemo ex civibus ab illis excluderetur: apud Lacedæmonios verò cives pauperes, qui non possent præfinitos sumptus contribuere, non solum ab illis convivijs, sed etiam à cæteris publicis honoribus & officijs erant exclusi, quæ ex re multæ inter cives exoriebantur discordia & contentiones.

Alterum discrimen est circa Cosmorum & Ephorum electionem. Nam apud Lacedæmonios Ephori etiam ex plebe eligebantur: apud Cretenses verò Cosmi eligebantur solum ex certis quibusdam & magnis familijs.

Quæ præterea Aristoteles circa hos Magistratus reprehendit?

Περὶ ὧν
τὰς αὐτὰς
ἀν τις εἶ-
πτε λόγους.

Tria. Primum quòd non cogebantur rationes reddere eorum, quæ in suo Magistratu gesissent.

Secundò, Quòd isti magistratus erant perpetui: ita ut non licebat illos deponere, quantumvis propter ætatem, vel morbum, vel ingenij aut virium defectum non amplius rectè eo fungi aliquis posset.

Tertiò, Quòd ij qui in his Magistratibus erant constituti, non κατὰ γὰρ μάλιστα, ex legum præscripto,

sed saltem pro suo arbitratu sententiam dicerent, & indicarent.

CAPVT IX.

Πολιτεύ-
εως δὲ δο-
κασί ηῖ
Καρχηδόν-
ιοι.

Quod est iudicium Aristotelis de Carthaginen-
sium Republica?

Carthaginensium Rempub. Aristoteles existi-
mat non fuisse usque adeò male constitutam:
partim quia habuit multa similia & communia
cum duabus precedentibus, nimirum cum Laco-
nica & Cretensi Repub. partim etiam quia licet fu-
erit populosa & habuerit numerosam plebem: ta-
men diutissimè suis proprijs legibus, absq; ulla sedi-
tione, aut Tyrannide fuerit administrata, & con-
servata.

Ἔχει δὲ
παραπλή-
σια τῇ Λα-
κωνικῇ.

Quæ habuit autem hæc Respublica communia
& similia cum duabus iam dictis?

Duo præcipuè. Primum quod ad concilian-
dam & alendam inter cives mutuam concordiam,
etiam habuerunt suas sodalitates & distincta colle-
gia, quæ unà simul celebrabant statis temporibus
publica convivium: sicuti Lacedæmony & Cretenses.
Deinde quòd eosdem propè habuerunt magistra-
tuum ordines: nisi quòd quinqueviratus Ephoro-
rum apud Carthaginenses sese extendebat in cen-
tumviratum, qui Magistratus ab Aristotele ἐξα-
τοῦλαρχία, hoc loco nominatur. Præterea Lacedæ-
monio-

moniorum reges eligebantur solum ex familia Heraclidarum: apud Carthaginenses vero eligebantur etiam ex diversis familijs: pro ut videbantur aliqui ad istam dignitatem maximè idonei.

Quæ autem vitia in Repub. illa Aristoteles notavit?

Quatuor præcipuè. Quorum primum est, quòd eorum Legislator non omnes leges consimiliter ad eum scopum, quem sibi proposuerat, accommodavit.

Quomodo?

Quia Legislatori propositum fuerat, eiusmodi Rempub. apud Carthaginenses constituere, quæ esset mixta & temperata ex aristocratia, & bona politia: ipse verò multa instituta immiscuit, quæ magis erant democratica, & oligarchica, quàm aristocratica: quemadmodum Aristoteles declarat enumeratione quorundam institutorum, quæ apud Carthaginenses erant in usu.

Quod est alterum vitium?

Quòd in eligendis magistratibus non solius virtutis, sed etiam divitiarum habuerunt rationem: existimantes pauperes esse occupatos in acquirendo victu: atq; ideò minùs commodè posse publicis negocijs administrandis vacare. Verùm huic incommodo Legislator facile potuisset occurrere, si legem sanxisset, ut pauperibus, qui in magistratum fuif-

Τὰ μὲν ἔν
ωλεῖσα ἔ
ἐπιτιμη-
θέντων.

Δεῖ δὲ νο-
μίζειν οἰ-
μαρτυροῦ
πομοφεία.

sent cooptati, ex publico arario aliquid detur: ita ut absq; damno aliquo, possent & ipsi, eiusmodi publicis muneribus fungi.

Quare Aristoteles in eligendis magistratibus censet non spectandas esse opes & divitias?

Huius rei duas adfert causas. Prima est, Quia ex ea re homines concipiunt malam de divitijs opinionem: quasi essent res preciosa & honoranda: propterea quod propter illas hominibus conferantur eiusmodi honores & dignitates. Ex qua opinione deinde consequitur, quod etiam homines incipiunt divitias magnifacere, & in honore habere: sperantes etiam se per illas aliquando posse evadere honoratiores. Quae sane res perniciosissima est civitatibus. Altera causa est, quia istae res occasionem praebet hominibus ambitiosis, ut cupiant per largitiones & munera ad eiusmodi honores pervenire: quos ubi consecuti sunt, postea conantur questum ex suo magistratu facere: ad recompensationem eorum, quae in largitiones insumpserunt.

Θαυλον δ'
εν δόξειεν
φίνα.

Quod est tertium vitium in hac Répub.?

Quòd interdum uni alicui plures magistratus, & plura publica negotia peragenda committebantur. Hoc autem minimè fieri debere, praesertim in magnis civitatibus, in quibus est hominum idoneorum magna copia, probat duobus argumentis: unis
sumitur

sumitur ex loco comparatorum. Si difficile est unum magistratum rectè gerere: multò difficilius est plures magistratus benè administrare. Alterum à simili: Quemadmodum absurdum est uni & eidem homini mandare, ut simul tibià canat, & calceos conficiat: ita inconueniens est, uni & eidem duos diversos magistratus mandare.

Quod est quartum vitium?

Quòd ad præcauendam seditionem, & demulcendam plebem, solebant interdum quosdam ex illis ad præfecturas provinciarum extra urbem mittere, ut ex illis ditescerent. Sed Aristoteles hunc modum deliniendi populum improbat, tanquam incertum & à fortuna dependentem: ac potius bonis legibus, & bona disciplina seditiones esse præcauendas.

Ολιγαρχία
κῆς δὲ ἕ-
σης τῆς πο-
λιτείας.

CAPVT X.

Quæ fuerunt Solonis leges, & instituta in Republica Atheniensi?

Τῶν δὲ ἀ-
ποθνησκ-
μένων.

Aristoteles ait Solonem Atheniensium legislatorem à quibusdam laudatum fuisse propter leges quasdam & constitutiones, quarum ipse in constituenda ea Repub. author fuit: inter quas etiam fuerunt ea quæ sequuntur instituta. I. Quòd Oligarchiam, & intollerabilem dominatum atq; potentiam triginta Tyrannorum sustulit. II. Quòd populum

populum à servitute, quâ premebatur, liberavit.
 III. Quòd pristinam democratiâ populo resti-
 tuit. IIII. Quòd Rempub. Atheniensium ex di-
 versis formis commixtam, eâ prudentiâ tempera-
 vit, ut inde efficeretur bona, & commoda quaedam
 πολιτεία.

Quonam pacto?

Nam, Quòd iudicium Areopagiticum consti-
 tuit, in quo paucorum fuit summa auctoritas &
 potestas: representavit Oligarchiam. Quòd omnes
 magistratus non amplius sorte, sed per suffragia ex
 tribus primis civium ordinibus eligendos esse cen-
 suit: id est Aristocraticum. Quòd deniq; iudicia
 omnia, excepto Areopagitico, ad populum transtu-
 lit: populoq; potestatem fecit eligendi magistratum,
 ab eoq; reposcendi rationes eorum, quæ in magistra-
 tu gessissent: referri potest ad Democratiâ.

Φαίνεται
 ὅτι ἔκαστος
 τῶν Σόλων
 ἔσ.

Atqui sunt aliqui, qui reprehendunt Solonis
 Rempub. propterea quòd ea tandem dege-
 neravit in deterrimam Democrati-
 am, & propè Tyrannicam po-
 puli licentiam?

Negat Aristoteles hoc Solonis culpâ factum es-
 se: sed partim casu quodam fortuito: eo nimirum
 tempore, quo Athenienses cum Persis et Medis bel-
 lum gerentes iuxta Salaminem, navali prælio eos
 superassent: cuius victoria, cum populus præcipuè
 author

author extitisset, cœpit animos erigere, ac petulantius superbire: partim verò culpâ τῶν ἀμασῶν, hoc est, eorum oratorum, qui populo nimium adu-
labantur, & suis assentationibus eius petulantiam magis magisq̄ confirmabant.

Quo pacto Solon distribuit cives Athe-
nenses?

Τὰς δ' αἰε
τοὺς ἐν τῷ
πρωτοῦ

In quatuor ordines, secundum eorum opes & fa-
cultates, seu census. Quorum primus fuit eorum,
qui vocabantur πενταχοσιμέδωνοι, qui in annuis
reditibus habuerunt quingentos medimnos: horum
tributum fuit unum talentum. Alter eorum, qui
nominabantur ὑπόδες equestres, qui in annuis
proventibus habebant trecentos medimnos: horum
tributum erat dimidium talentum. Tertius eo-
rum, qui dicebantur ζευγίται, quia poterant ali-
quot iuga boum alere: horum tributum erant de-
cem minæ. Quartus ordo eorum, qui appellaban-
tur ἄντες serui, & mercenarij: quibus nullum tri-
butum imponebatur.

Quomodo distinguit Aristoteles circa finem hu-
ius libri eos, qui antè ipsum aliquid, vel de
Legibus, vel de constituendis Rebus-
pub. scripserunt, & tradi-
derunt?

Νομοθε-
ταὶ δ' ἐξ
πρωτοῦ.

Aristoteles veterum Legislatorum, & Politi-
corum scriptorum duo facit genera. Vnum eorum,
qui

qui domi in ocio privatam vitam, remotam à publicis negotijs, & Reipub. administratione, traduxerunt: sola deoꝝ ista & speculatione sese oblectantes, non admodum solliciti fuerunt, quo pacto re ipsa ea, quæ excogitarunt, possent ad usum transferre: in quorū numero fuerunt Philosophi politici, ut Plato, Phaleas, Hippodamus, & alij his similes, qui nunquam ad Rempub. accesserunt. Alterum genus est eorum, qui non nudā solū speculatione, & inventione Legum contenti fuerunt: sed conati sunt, ea quæ excogitarunt, etiam in actum producere, & ad usum transferre: itaq; ipsimet secundum leges vel novam aliquam Rempub. constituerunt: vel eam, in qua vixerunt, administrarunt. quos Aristoteles hoc loco dicit, non fuisse solū νομοθέτας, sed etiam δημιουργὸς τῆς πολιτείας, hoc est, non solū legum inventores, sed etiam Reipublicarum conditores.

Liber Tertius.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes huius tertij libri?

Tres sunt huius libri precipuæ partes: quarum Prima est de cive & civitate, quæ sunt materia

materia & subiectum civilis societatis, circa quæ hæc doctrina præcipuè versatur. Inquirit enim quis propriè dicatur civis, & quæ sit civitatis definitio, quodq; sit boni civis officium. Altera pars à quarto capite usq; ad decimum est de forma civitatis, quæ à Græcis Πολιτεία, à Cicerone Respublica nominatur. In hac parte docet quid sit Πολιτεία, quot item sunt eius differentie & species: easq; definiendo explicat. Interferit etiam utilissimam questionem, quæ quaeritur, utrum legibus potius, an verò hominibus imperium & dominium civitatis sit concedendum. In tertia parte à decimo capite usq; ad finem agitur de prima & præcipua forma Reipub. quæ βασιλεία, hoc est, Regnum, sive Regia gubernatio appellatur: & de quinque eius differentijs, sive speciebus.

CAPVT I.

Quoniam Aristoteles deinceps traditurus est Præcepta de ratione constituendi & administrandi aliquam Rempublicam. undè existimat faciendum esse initium?

Τῷ αὐτῷ
πολιτείας
ἐπισκο-
πῶντι.

A definitione Civitatis, & Civis.

Quas ob causas?

Primum, Quia ista vocabula non semper eodem modo accipiuntur, ita ut interdum de illis oriatur

αὐτῷ

atur dubitatio, quomodo sint intelligenda. Quae in re servat Aristoteles præceptum Dialecticorum, qui iubent ὁμώνυμα semper esse prius distinguenda, antequam in disputando aut docendo progrediamur. Cuius præcepti etiam Cic. lib. 1. Officiorum his verbis mentionem facit. Omnis, inquit, quae à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

Altera causa est, Quia ista duo, Civitas & civis, sunt præcipuum subiectum, circa quod doctrina hæc versatur. In qualibet autem arte & scientia, eius subiectum imprimis est considerandum & explicandum. Tertia causa est, Quia Civis & Civitas erga se mutuò ita sunt affecta, quemadmodum totum & partes: non potest autem totum perfecte cognosci, nisi etiam partes eius cognoscantur. Itaque cum cives sint partes civitatis, merito etiam explicandum est, quis nam sit civis dicendus.

Dic igitur definitionem Civis: nam Civitatis definitio supra in primo libro est tradita?

Vocabulum Civis bifariam accipitur: vel κυρίως ἁπλῶς, proprie & simpliciter seu absolute: vel μὴ κυρίως, ἀλλὰ κατὰ τι, non proprie, sed secundum quid, hoc est, certo quodam modo & respectu: μεταπέθεσθαι, cum aliqua adiectione seu conditione.

Quis

Quis dicitur propriè Civis?

Civis propriè dicitur is, qui in civitate particeps est magistratus & iudicij: ὁ μετέχων ἀρχῆς, καὶ κρίσεως, hoc est, cui aditus patet ad honores in magistratu gerendo, & in exercendis iudicijs.

Πολίτης δὲ
αἰπλῶς ἐ-
δενὶ τῶν ἄλλο-
λων.

Quis dicitur impropriè & secundum quid Civis?

Impropriè Civis dicitur, qui etiam si in civitate habitat, tamen non est capax honorū in magistratu, & iudiciorum, hoc est, non licet ei gerere magistratum, aut exercere iudicia.

Quot sunt horum civium genera?

Quatuor. Primum est eorum, qui dicuntur πολῖται, cives factitij: qui civitate sunt donati, & in numerum civium aliundè asciti: à Platone νεοπολίται. Alterum genus est eorum, qui tantum ratione habitationis & domicilij, quod in civitate habent, dicuntur cives: nominantur μέτοικοι, inquilini, ut incolæ, Hinderfassen. Tertium genus est eorum, qui propter controversiam & litē, quam habent cum veris civibus in foro, & curia, se subiecerunt eisdem iudicijs, quoad eorū causa cognoscatur & diiudicetur: atq; hac ratione aliquo modo etiam dicuntur esse participes iudiciorum. Quartum genus est eorum, qui propter ætatem non possunt pro veris civibus haberi: quia non possunt fungi officio

K

verorum civium: cuiusmodi sunt primum filij civium, qui adhuc sunt impuberes, neq; deposuerunt prætextam, ac propterea nondum sunt in tabulas perfectorum civium relati. Deinde sunt senes, qui propter etatē, aut ingenij & virium imbecillitatem nō possunt amplius Reipub. negotijs administrandis adhiberi: qui hoc loco nominantur ἀφειμένοι, quasi dimissi & soluti à publicis officijs: item παρηκμαχότες, effati & emeriti: à Latinis, autore Festo, Depontani. Vnde natū est proverbium, Sexagenarium de ponte. His etiā quinto loco addi possunt ij, qui propter facinus aliquod in exiliū sunt eiekti, aut ignominia notati: hi etiam si antea fuerint veri cives, tamen non possunt amplius propriè cives nominari.

Ὁ εἶζον
δὴ αὐτῶν
πλὴν ἑξή-
σιν.

Quæ est vulgata civis definitio?

Civis est, qui ex utroq; parente cive, in aliqua civitate natus est. Vel ut quidam volunt, Qui à tribus aut quatuor gradibus suorum maiorum civis natus est. Et propterea nominari potest Patri-
cius, ein Geschlechter.

Quod est Aristotelis iudiciū de hac definitione?

Aristoteles negat aliquem solum propter locum sive patriam, in qua natus est, verè & simpliciter posse civem nominari: idq; probat tribus absurdis consequentibus. Primum est tale. Si civis definiendus est à maiorum suorum natalibus, incerta erit definitio: quoniam etiam de illis simpliciter dubi-
tari

vari potest, utrum etiam ipsi hoc modo à suis maioribus cives nati fuerint. Deinde à ioco Gorgia Leonthini Sophista: qui, cum Larissæi gloriarentur se esse cives natos à suis parentibus, respondit: ergo vestri patres fuerunt Λαρισσοποιοί, hoc est, Larissæorum fabricatores: quemadmodum statuarij dicuntur esse ἀγαλματοποιοί, hoc est, statuarum fabricatores. Tertium rursus ab absurdo: si ij tantum sunt cives, quorum parentes aut maiores fuerunt cives: igitur ij, qui primi conditores alicuius urbis fuerunt, non poterunt dici cives: quoniam nati fuerunt, antequam urbs illa fuisset ab ipsis condita: quod est valde absurdum. Hac enim ratione etiam Romulus non potuisset esse aut dici civis Romanus: natus enim fuerat antè conditam Romam. Deniq; si locus in quo aliquis natus est, facit eum civem: igitur Mercatorum, Militum, Mendicorum, & peregrinantium liberi, quibus casu aliquo fortuito contingit in aliqua urbe nasci, etiam poterunt cives eius urbis nominari: quod tamen est falsum.

Sunt ne rata habenda & servanda ea, quæ antè mutata formâ Reipub. fuerunt decreta?

Αἰεὶ ἵσως
ἐπέχουσιν
μὴ ἄλλοι.

Maximè: quia fides nunquam est violanda, qualiscunq; tandem sit rerum status, personarum conditio, aut temporum mutatio. Itaq; Divus Petrus præcipit etiam malis & improbis magistratibus obediendum esse in rebus civilibus, quatenus salva conscientia illud fieri potest.

K a

Ἐοικε δὲ
οἰκίῳ ὁ
λόγος.

Quomodo dicitur civitas aliqua esse eadem, aut
à seipsa diversa?

Pro huius questionis explicatione, notanda est
hæc distinctio: Quòd vocabulum Civitatis ac-
cipitur vel materialiter vel formaliter. Cùm mate-
rialiter accipitur, tunc usurpatur p̄ urbe, quatenus
sita est in certo aliquo loco, & mœnibus cincta, con-
stat q̄, ex pluribus domibus, & hominibus, qui eas
inhabitant. Cùm autem formaliter accipitur, tùm
intelligimus formam ipsam et modum administra-
tionis, quæ Græcè πολιτεία, Latinè Respublica no-
minari solet: cuius sunt plures & diverse species:
veluti sunt ἀριστοκρατία, ὀλιγαρχία, δημοκρατία, &
reliquæ species. Quòd igitur ad materiam attinet,
civitas non potest propter eam eadem aut diversa
dici, quatenus in eodem aut diverso loco est extru-
cta, aut iisdem mœnibus cincta, aut diversis mœni-
bus distincta: neq̄, etiam quatenus iisdem, aut di-
versi homines eam inhabitant: neq̄, enim res suam
essentiam aut denominationem habent à materia,
sed à forma: quæ retenta, aut mutata, res dicun-
tur esse eadem, aut diversa. Proinde si forma ad-
ministrationis civitatis, hoc est, Reipub. eadem ma-
net, etiam civitas dicitur esse eadem: etiam si fortè
locus eius sit mutatus, & non amplius sint iisdem in
ea cives: si verò forma mutatur, veluti si democra-
tia mu-

tia mutetur in Oligarchiam, aut Aristocratiam: tùm non amplius dicitur esse eadem: etiamsi idem eius maneat locus, ydemq; sint cives, qui antea fuerant.

Quo pacto Aristoteles hanc responfionem declarat?

Αλλὰ τῶν
αὐτῶν κα-
τοικούντων.

Tribus exemplis similibus: quorum unum sumitur à fluminibus, quæ semper retinent suam appellationem, & dicuntur esse eadem, licet interdum locum & alveum suum mutant, eorumq; aquæ subindè defluant & præterlabantur, aliæq; in earum locum affluant & succedant. Alterum exemplum sumitur à choro scenico: qui licet ex ysdem histrionibus constet, tamen mutata forma fabule, etiam non amplius idem esse dicitur: sed in Comœdia dicitur esse Comicus, in Tragœdia, Tragicus: retentâ verò formâ fabule, etiam eodem nomine appellatur, etsi histriones fuerint diuersi. Tertium exemplum huic est simile, desumptum ab harmonia musica: quæ licet constet ex ysdem vocibus & sonis, tamen mutata compositionis forma, etiam diuersas sortitur appellationes: ita ut harmonia Lydia sit diuersa ab harmonia Dorica, aut Phrygia: & cantus primi toni specie differat à cantu secundi aut tertij toni. Itaq; propter mœnia, quibus civitas est cincta, aut distincta, non potest civitas una, eademq;, aut diuersa nominari. Nam posset fieri

ut tota Peloponnesus unis mœnibus cingeretur: non propterea una posset nominari civitas. Sic civitates interdum flumine aliquo, aut collibus in diversas partes quodammodo disiunguntur: non tamen propterea diverse civitates esse dicuntur. Ut Roma licet fluvio Tyberi, & septem collibus fuerit in plures quasi partes distincta, tamen una eademque fuit urbs nominata.

CAPVT III.

Τῶν δὲ νῦν
εἰρημένων.

Estne eadem virtus viri boni, & civis boni?

Simpliciter quidem non est: aliquo modo tamen & secundum quid est eadem. ἀπλῶς μὲν ἔχ' ἢ αὐτὴ: ἀλλὰ καὶ ἀπὸ πῶς.

At ego putabam eum qui est vir bonus, etiam esse civem bonum: & sic utriusque eandem esse virtutem?

Nequaquam ita se res habet: possunt enim haec duo, nempe vir bonus, & civis bonus, nonnunquam esse separata: quemadmodum Aristoteles aperte in quinto Ethicorum cap. 2. affirmat, inquiens ὁ γὰρ ἴσως ταῦτ' ἄνδρ' ἢ ἀγαθὸν εἶναι, καὶ πολίτη παντὶ. Idem etiam testatur Cic. in Epistola ad Lentulum: Ego postulavi à Repub. ut me, quem bonum civem semper habuisset, etiam bonum virum esse pateretur. Et ad Atticum scribit, Gaudeo te & viri boni, & civis boni verbis esse delectatū.

Quæ

Quæ est igitur virtus viri boni?

Virtus viri boni est, ἡ καλοκαγαθία, hoc est, omnis probitas & honestas: & ut Cic. lib. 3. Officiorum scribit, Viri boni nomen innumerabilibus officijs continetur.

Quæ est virtus civis boni?

Ea quæ est accommodata ei formæ Reipub. in qua vivit, hoc est, posse vitam, mores, & omnes suas actiones accommodare legibus, & institutis sue civitatis. Quemadmodum enim eorum, qui simul navigant, communis cura esse debet secundus navigationis cursus: ita etiam civium communis cura esse debet salus & conservatio civitatis.

Quare autem non simpliciter eadem est virtus viri boni, & civis boni?

Huius rei Aristoteles tres adfert rationes. Primæ ratio est, Quia vir bonus, quo ad virtutem, in omni loco & tempore, & in quacunq; fortuna semper eodem modo se habet, ad solam nimirum honestatem spectans, à quo suo proposito non patitur se ulla ratione dimoveri, unde etiam in Ethicis dicitur esse τετραγών &, instar lapidis quadrati. Civis autem bonus, virtutem suam & actiones omnes accommodare debet ad utilitatem eius civitatis & Reipub. in qua vivit: cùm autem plures sint Reipub. formæ, ideò non potest semper eadem simpliciter eius esse virtus. Et per consequens viri boni, & civis boni non semper eadem est virtus.

Εἶπερ ἐν τῇ
ἐν πολλῇ
πολιτείᾳ
εἶδη.

K 4

Οὐ μὲν
ἀλλὰ καὶ
κατ' ἄλλοι
τρόπον.

Quæ est altera ratio?

In *Repub. benè constituta*, omnes cives etiam debent esse boni cives: alioquin enim *Respub.* non poterit dici benè esse constituta: non autem necesse est, ut omnes cives quoq₃ sint viri boni: quia istud fieri in hac humanarum rerum conditione non potest: ergò civem bonum, & virum bonum esse sunt diversa. Et per consequens, Non eadem est virtus viri boni, & civis boni.

Ἐπεὶ ἐξ
ἀνομογιῶν.

Quæ est tertia ratio?

Tertia ratio sumitur à natura eorum quæ sunt composita. Omne quod compositum est, constat ex dissimilibus partibus: quarum etiam diverse sunt functiones & actiones: quæ etiam proficiscuntur à diversis facultatibus & virtutibus. Sed civitas seu *Respub.* est composita quædam societas ex diverse conditionis hominibus & civibus: quemadmodum per se notū est. Ergò non omniū civium eadem sunt functiones, eademq₃ virtutes. Maiorem Aristoteles declarat aliquot exemplis per inductionē: primum animalis, quod constat ex anima & corpore: deinde, Animi humani, cuius sunt diverse potentie: tertio, societatis domesticæ, in qua sunt diversi homines, Maritus & Vxor: Dominus & servus: parentes & liberi. Quarto chori, qui constat ex coryphæo, duce, & cæteris saltatoribus, qui eum sequuntur.

Sed

Sed quando potest aliquis in civitate aut Republica aliqua simul esse & nominari civis bonus, & vir bonus?

Δῆλον ἐκ
τῶν εἰρη-
μένων.

Ad hanc questionem Aristoteles in fine huius capituli, & in septimo capite quarti libri respondet ex duplici distinctione: quarum una est ipsorum civium, quorum aliqui dicuntur ἀρχοντες, id est, in magistratu constituti, alij verò ἀρχόμενοι, id est, subditi. Altera distinctio est formarum Reipub. quarum aliqua sunt bona, & rectè constituta: alia autem mala & vitiosa. Secundum has distinctiones ad propositam questionem sic respondet. Quòd nimirum in sola Aristocratia, hoc est, in ea civitate, quæ ab optimatibus secundum optimas leges administratur, is cui magistratum gerere licet, possit simul re vera esse, & dici civis bonus, & vir bonus.

Quæ est huius rei causa?

Due sunt cause. Prima est, Quia in hac forma Reipub. in eligendis magistratibus, & conferendis publicis honoribus solius virtutis habetur ratio, absq; ullo aliarum rerum respectu, veluti divitiarum, nobilitatis, potentia, amicitiarum, & similium rerum: ex quo sequitur quòd is, qui hoc modo in magistratum eligitur, etiam sit vir bonus, & per consequens etiam civis bonus. Altera causa est, Quia in Aristocratia gubernatio non est solum

K S

penes paucos aliquos divites, vel nobiles, ut in Oligarchia: sed est penes omnes, qui libertate & virtute sunt pares: idq; per vicissitudinem imperandi & parendi: quae vicissitudo admodum utilis est ad rectam gubernationem: quemadmodum in proverbio dicitur, ἢ κ' ὅτιν' ἐν ἀρχῇ, μὴ ἀρχὴν δέοντα, id est, non potest bene imperare is, qui nunquam alterius imperio fuit subiectus. Cui etiam simile est illud, quod Plato in libro sexto de legibus scribit de imperio domestico, ὁ μὴ δουλεύσας, ἢ δ' ἂν δεσπότης γένοιτ' ἀξίος ἐπαίνου, Qui nunquam servivit, non poterit unquam laude dignus dominus fieri. De hac vicissitudine imperandi & parendi in liberis civitatibus etiam Cic. in lib. 3. de leg. sic scribit. Non solum magistratibus praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperare cupit, pareat aliquando necesse est: & qui modestè paret, videtur dignus esse, qui aliquando imperet: itaq; oportet & eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: & illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse rursus parendum. Scientia igitur rectè imperandi, & parendi in libera civitate & Repub. communiter ad utrosq; pertinet, tam ad eos qui in magistratu sunt constituti, quam ad subditos. Sed tamen est etiã utrorumq; propria quadam virtus, quae in illis requiritur.

Quae

Quæ est igitur propria virtus τῆ ἀρχοντος, id est,
eius qui in magistratu est
constitutus?

Φαυλὸν δὲ
τὸν ἀρχον-
τα τὴν αὐτῆς
δαίον.

Propria virtus τῆ ἀρχοντος est φρόνησις ἀρχικὴ,
id est, eiusmodi prudentia, qua potest rectè impera-
re & præesse suis subditis: ac refertur ad formam
imperij sui: proinde pro diversitate imperij, etiam
diversa requiritur in imperante prudentia: alia in
imperio Oeconomico, alia in imperio Politico, alia
in imperio Regio, Populari, Oligarchico, & sic con-
sequenter.

Quæ est propria virtus subditi?

Propria virtus τῆ ἀρχομένου, subditi est, ut inquit
Aristoteles, δόξα ἀληθὴς, vera & recta opinio de
ijs, quæ à magistratu & legibus præcipiuntur: quòd
nimirum sint bona & salutaria: ut hac opinione
seu persuasione efficiantur subditi promptiores ad
prestandam obedientiam legibus, & magistratui.

Quo argumento Aristoteles probat diver-
sam esse virtutem τῆ ἀρχοντος καὶ
τῆ ἀρχομένου?

A diuersa eorum educatione. Nam qui ad di-
uersas virtutes educantur & instituuntur, eorum
etiam virtutes sunt diuersæ. Sed magistratum &
subditorum liberi ad diuersas virtutes educantur
& instituuntur. Ergò. Minor declaratur primùm
testime-

testimonio Euripidis, apud quem cuiusdam principis filius à præceptore suo postulabat, ut in talibus præceptis ipsum institueret, per quæ aliquando, si in magistratum eligeretur, posset patriæ suæ esse utilis. Deinde à dicto cuiusdam Iasonis, qui dicebat se quodammodo fame consumi, quòd non posset alijs imperare: quo dicto ostendere voluit, se non didicisse, quo pacto debeat alijs parere.

ἵπεί ἔν πο
τὲ δοκεῖ
ἀμφοτέ-
ρα.

Sed præter prudentiam requiruntur ne etiam aliæ virtutes in eo qui magistratum gerit?

Imò, nam in principe & magistratu omnes etiam reliquæ virtutes morales requiruntur, quæ in eo etiam debent esse excellentiores & perfectiores, ut revera sint ἀρχαῖ, hoc est, viro principe & magistratum gerente dignæ: quemadmodum etiam in imperatore & duce exercitus maior requiritur fortitudo, quàm in gregario milite: & in muliere maior temperantia, quàm in viro.

Quæ est postrema huius capituli quæstio?

Aristoteles circa finem huius capituli tractat quæstionem de opificibus: utrum revera inter cives sint numerandi, & pro civibus habendi. At quæ eam in utramquæ partem disputat: deinde suam de ea sententiam explicat.

Quomodo partem negativam probas?

A definitione Civis, quæ suprâ fuit tradita. Ve-

rus

rus civis est is, qui capax esse potest magistratus, & iudicij in sua civitate. Opifices autem non possunt esse capaces magistratus & iudicij. Ergo Opifices non possunt in numero civium haberi. Minor probatur. In bene constituta repub. magistratus conferuntur respectu virtutis, ijs quibus ocium est, ut possint vacare virtutis studio, & negotijs publicis administrandis. Opifices autem non habent tale ocium, ut possint virtutis studio vacare, & publica negotia administrare. Sunt enim perpetuo occupati in quotidiano victu per assiduos labores acquirendo. Ergo Opificibus publica haec officia magistratum & iudiciorum non possunt committi.

Quid ad hoc argumentum Aristoteles respondet?

Περὶ δὲ
τὸν πολι-
τικὸν ἐπὶ λέει
πελάσις.

Negat Aristoteles propterea definitionem civis supra positam esse falsam: etiamsi affirmemus opifices esse cives, nec tamen capaces magistratum & iudiciorum. At q̄ hoc declarat distinctione: Cives sunt duplices: aliqui ἀπλῶς, absolutè & simpliciter, quibus competit supra dicta definitio: aliqui autem ἐξ ὑποδέσεως, καὶ κατὰ τι, cum aliqua conditione, & secundum quid: ut pueri, qui sunt imperfecti cives: his etiam annumerari possunt opifices.

Quomodo

Quomodo probas partem affirmantem, quòd
opifices sint pro civibus habendi?

Ex loco comparatorum, pari, hoc modo: si pro
cive habendus est is, cui concessum est habitare in
civitate, & cuius opera civitati est necessaria: igitur
etiam opifices sunt pro civibus habendi: siqui-
dem ipsis conceditur ius habitandi in civitate. eo-
rumq; opera civitati ita est necessaria, ut illis carere
civitas non possit.

Quid ad hoc argumentum respondet Aristotel.?

Primum Aristoteles negat solum ius habitatio-
nis posse aliquem efficere, aut reddere civem: nam
etiam inquilini, item hospites, peregrini, & multi
alij his similes habent ad aliquod tempus ius habi-
tandi in aliqua civitate: non tamen propterea pos-
sunt cives nominari. Deinde negat omnes eos pro
civibus esse habendos, quorum opera civitas carere
non potest. Etenim servorum, mercenariorū, & eo-
rum, qui civitatis sordes amoveant, operā civitas ca-
rere non potest: neq; tamen pro civibus propterea
sunt habendi.

Ὅτι ἐπεὶ οὐδὲ
ἐν τῷ ἴσῳ
μικρῶν.

Quæ est autem Aristotelis de proposita
quæstione sententia?

Aristoteles hanc quæstionem ait considerandam
& dyndicandam esse ex forma eius Reipub. in qua
quisq; vivit: propterea quòd vocabulum Civis, est
in numero relativorum, quæ non seorsim, & per se,
verùm respectu suorum correlativorum solent ex-
plicari

plicari & definiri. Respicit autem civis ipsam civitatem & Rempub. τὴν πόλιν, ἢ πολιτείαν: cuius respectu etiam ipse civis est definiendus: sed quia sunt varia rerumpub. formæ, ideò etiam vocabulum civis non semper eodem modo consideratur: unde quoq; fit, ut interdum possit aliquis in aliqua Repub. & civitate esse, & nominari civis: qui tamen in alia civitate & Repub. non potest haberi pro cive. Exempli gratia: Opifices possunt in Democratia esse cives, quatenus capaces sunt magistratuum et publicorum officiorum: in Oligarchia autem non possunt esse cives: quia non possunt propter paupertatem cooptari in magistratum. Nam in Oligarchia solum divites & nobiles sunt capaces publicorum honorum. Consimiliter vir bonus licet pauper sit, potest tamen esse civis in Aristocratia: qui tamen in Oligarchia non potest in civium numero haberi: quoniam non habet tantas opes, ut possit equiparari reliquis, qui in magistratum eliguntur.

CAPVT IIII.

Quid in hoc capite agitur?

Ἐπεὶ δὲ
τῶντι δὲ
εἰς αὐτὸν

Quoniam hætenus in tribus precedentibus capitibus egit de civibus, qui sunt veluti materia, ex qua Civitas & civilis societas constat: ideò iam progreditur ad formam civitatis explicandam: prius tamen etiam breviter repetit ea, qua supra in primo libro de causa efficiente & finali dixerat.

Quæ

Quæ est causa efficiens civitatis?

Υποθέτεον
δὴ πῶς ἔστιν
τὸ ἄριστον
εἰν σωέ-
σῃσι.

Causa efficiens seu origo civilis societatis ipsarumq; civitatum est ἡ φύσις, ipsa Natura. Quatenus nimirum homo à natura ad civilem societatem colendam ita factus est: ut etiamsi omnia vitæ necessaria haberet, nullaq; re indigeret: tamen naturali instinctu societatem hanc expeteret: unde etiam dicitur esse τῆ φύσει ζῶον πολιτικόν.

Quæ est causa finalis civitatis?

De fine, propter quem civitates initio fuerunt constitutæ, suprâ lib. 1. cap. 1. & 2. prolixè est explicatum. Hoc autem loco iterum duos fines repetit: quorum unus est ipsa utilitas non solum publica & communis omnium: verum etiam privata singulorum civium. τὸ κοινῆ πᾶσι, καὶ χωρὶς ἐκάστωι συμφέρον. Alter est mutua in hac vita hominum conversatio & consuetudo: siquidem solitaria vita per se est molesta: & feris belluis potius, quàm hominibus conveniens. Συνέσχυλαι δὲ καὶ τὸ συζῆν ζῆν ἔνεκεν αὐτῶ.

Quæ est causa formalis civitatis?

Forma civitatis dicitur ἡ πολιτεία, id est, Respublica: quæ infrâ lib. 4. dicitur esse ἑὶς τῆς πόλεως, anima & vita civitatis.

Ἐπὶ δὲ πο-
λιτεία πό-
λεως πέ-
ξῃσι.

Quomodo definitur ἡ πολιτεία ab Aristotele?

Aristoteles suprâ in primo capite tradidit hanc definitionem.

definitionem, πολιτεία ἔστι τάξις τῶν τῷ πόλιν οἰκόντων: Politia est ordo eorum, qui civitatem inhabitant. Hanc definitionem hoc loco magis explicat, inquit: πολιτεία ἔστι τάξις πόλεως, τῶν δὲ ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων, hoc est, πολιτεία est ordo, seu descriptio (ut Cicer. vertit) civitatis, & magistratum, maximè verò eius magistratus, qui omnium est præcipuus. Huic definitioni consentit etiam ea, quæ infra in lib. 4. cap. 1. traditur: πολιτεία ἔστι τάξις ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ περὶ τὰς ἀρχὰς τίνα ὁρίων νετέμνωται: καὶ πὶ τὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ πὶ τὸ τέλος ἐκάστης τῆς πολιτείας ἔστι. Politia est descriptio ordinis in civitatibus circa magistratus, quo pacto distributi sint, & quid sit id, quod in civitatis administratione summam potestatem atq; auctoritatem obtinet: quis deniq; cuiusq; Reipub. sit finis.

Quot modis accipitur vocabulum πολιτείας
ab Aristotele?

Duobus modis, vel generatim & communiter, pro quavis forma civilis gubernationis: atq; huic significationi competunt iam illatae definitiones. Vel speciatim & peculiariter, pro certa quadam forma gubernationis: quæ ex alijs bonis formis est mixta, & temperata, de qua Aristoteles agit infra in lib. 4. cap. 8.

L

Ex qua re præcipuè æstimanda est forma civitatis?

Ἐκ τοῦ πολιτεύματός, id est, ex eo magistratus penes quem est summa potestas, & administratio in civitate.

Ἄλλο μὲν
καὶ τῆς ἀρχῆς.

Est ne una solùm, an verò sunt plures Rerumpub. formæ?

Quoniam forma Reipub. æstimatur, ut modò dictum est, ἐκ τοῦ πολιτεύματός, id est, ex forma gubernationis: ea autem non apud omnes est eadem: ideò etiam non est eadem forma Reipub.

Quonam pacto?

Nam gubernatio vel est penes unum, & dicitur μοναρχία: quæ si est bona, dicitur βασιλεία, Regnū: si vitiosa, dicitur τυραννίς. vel est penes paucos, qui, si propter virtutem sunt electi, dicitur eorum gubernatio ἀριστοκρατία: si verò solùm propter nobilitatem, divitias, aut potentiam ad imperium pervenerunt, appellatur ὀλιγαρχία. vel deniq; est penes universam multitudinem, & nominatur δημοκρατία.

Quomodo confirmatur ab Aristotele hæc distinctio?

A similitudine formarum domesticæ gubernationis. Quia enim domus est initium, & primum quasi fundamentum civitatis: ideò etiam ad domesticæ societatis imaginem, civitas, quæ est ma-
gna

gna quaedam domus, est constituenda. Unde Aristoteles in 8. lib. Ethicor. cap. 11. ostendit omnium formarum & specierum Reipub. imaginem quandam reperiri in societate domestica.

Quot sunt species imperij domestici?

Due, una est, in qua spectatur solum privata utilitas eius, qui imperat: quemadmodum fit in imperio herili, in quo omnia ad unius domini utilitatem referuntur. Altera est, in qua spectatur communis utilitas, tam eius qui imperat, quam eorum qui parent: ut fit in imperio paterno & conjugali.

Estne eadem quoque differentia in imperio politico?

Διὸ καὶ τὰς
πολιτικὰς
ἀρχάς.

Maximè. Nam qui magistratum gerunt in politico imperio, horum aliqui suum solum privatum commodum, neglecto communi & publico bono, quærunt: ut fit in Tyrannide, & Oligarchia: quæ formæ propterea etiam dicuntur esse vitiosæ, & malæ: ab Aristotele nominantur παραβάσεις, quasi digressiones seu aberrationes à bona forma gubernationis. Aliqui verò publicum & commune bonum civitatis, eorumque quibus imperant, quærunt: quemadmodum fit in regia gubernatione, item in Aristocratia, & bona Democratia: quæ formæ nominantur ab Aristot. ὀρθαί, rectæ & bonæ.

Ἐπεὶ δὲ
πολιτείας
εἶδη καὶ πο-
λίτευμα

Quot sunt igitur in uniuersum formæ Rerum-
pularum?

S Ex: quarum tres sunt bonæ. Βασιλεία, Regnū:
Ἀριστοκρατία, Optimatum potestas: Πολιτεία,
communis vocabulo specialiter accepto. Tres sunt
vitiosæ, quæ iam dictis opponuntur: Τυραννίς, ty-
rannicum imperium: ὀλιγαρχία, paucorum domi-
natus: Δημοκρατία, populi potestas.

Καλεῖν δὲ
εἰώθημεν,
πάντων μὲν.

Define singulas has species?

Βασιλεία est imperium legitimū unius, ad com-
munem utilitatem spectans: Βασιλεία δὲσι μοναρχία
πρὸς τὸ κοινὸν Συμφέρον ἀποβλέπουσα.

Ἀριστοκρατία est imperium pluriū quàm unius,
ad communem utilitatem spectans: ἀριστοκρατία δὲσιν
ἀρχὴ πλείονων ἑνὸς, πρὸς τὸ κοινὸν Συμφέρον ἀπο-
βλέπουσα.

Πολιτεία est imperium legitimū populi, ad com-
munem utilitatem spectans: πολιτεία δὲσιν ἀρχὴ, ἐν
ἧ τὸ πλῆθος πολιτεύεται πρὸς τὸ κοινὸν Συμφέρον.

Τυραννίς est imperium unius, qui omnia ad pri-
uatum suum commodum refert: Τυραννίς δὲσι μο-
ναρχία πρὸς τὸ Συμφέρον τῆ μοναρχῆντος ἀποβλέ-
πουσα.

Ὀλιγαρχία est imperium paucorum diuitem,
qui omnia ad suam utilitatem referunt: ὀλιγαρχία
δὲσιν

ὅτι ἀρχὴ πρὸς τὸ Συμφέρον ὀλίγων τοῦτ' ὅτι τῶν εὐ-
 πόρων ἀποβλέπουσα. *vel* ὅταν ὧσι κύριοι τῆς πολι-
 τείας, οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες. *Hæc à Xenophonte et-*
iam πλῆστοκρατία *nominatur.*

Δημοκρατία *est imperium multorum, omnia ad*
utilitatem pauperum referens: Δημοκρατία ὅτι ἀρχὴ
 πρὸς τὸ Συμφέρον τῶν ἀπόρων ἀποβλέπουσα. *vel,* ὅ-
 ταν ὧσι κύριοι τῆς πολιτείας, οἱ μὴ κεκλημένοι πλῆ-
 θος οὐσίας, ἀλλ' ἄποροι.

Quare politico etiam de his formis est
 explicandum?

Propter duas causas: primùm δὲ πρὸς τὴν γῶσιν,
 ut istarum formarū naturam & proprietates possit
 melius cognoscere: eas δὲ à se mutuò distinguere.
 Deindè δὲ πρὸς τὴν ἀξιολογίαν, ἢ χρῆσιν; ut possit melius
 scire quomodo singula hæc formæ in civitatibus &
 rebus publicis sint instituendæ & administrandæ.

Estne multitudo vel paucitas imperantium
 vera & propria nota Democratia &
 Oligarchia?

Ἐοικε τοί-
 νω ὁ λό-
 γος ποι-
 εῖν δηλο-
 νότι.

Minimè: sed Oligarchia propria nota est impe-
 rantium nobilitas, aut divitiæ. Democratia verò
 nota est equalitas libertatis utrorumδὲ, τὰμ impe-
 rantium, quàm subditorū. Numerus verò eorum,
 hoc est, paucitas vel multitudo est tantum nota per
 accidens. Siquidem ubiq; ferè accidit, ut sine

plures pauperes, quàm divites : pauciores nobiles,
quàm plebei.

Recita aliquot testimonia de formis Rerumpub.
haftenus enumeratis ?

Xenophon in lib. 4. de dictis & factis Socratis.

ὁ Σωκράτης ἠγεῖτο πρὸς μὲν ἐκόντων τῶν ἀνθρώπων, καὶ
κατὰ νόμους τῶν πόλεων ἀρχῶν, βασιλείαν (ἔϊ) : πρὸς δὲ
ἀκόντων τε, καὶ μὴ κατὰ νόμους : ἀλλ' ὅπως ἀν' ἀρχῶν
ἐβλοῖτο, τυραννίδα. καὶ ὅπως μὲν ἐκ τῶν τὰ νόμιμα ἐ-
πιτελούντων αἱ ἀρχαὶ καθίστανται, ταύτῃ πρὸς πολι-
τείαν, ἀριστοκρατίαν ἐνόμιζεν (ἔϊ). ὅπως δὲ ἐκ κλιμαμά-
των πλειοκρατίαν. ὅπως δὲ ἐκ πάντων δημοκρατίαν.

*Plato in dialogo politico septem formas enume-
rat, βασιλείαν, τυραννίδα, ἀριστοκρατίαν, ὀλιγαρχί-
αν, δημοκρατίαν ὀρθήν, καὶ δημοκρατίαν μοχθηράν :*
*septimo loco adijcit πολιτείαν ex omnibus bonis
formis optimè mixtam, & temperatam.*

*Aristoteles in 8. lib. Eth. cap. 10. πολιτείας δὲ
ὄσιν εἶδη τρεῖς : βασιλεία τε, καὶ ἀριστοκρατία, τρίτη δὲ
ἢ ὑπὸ τῶν πρῶτων ἢν πμοκρατικῶς λέγειν οἰκῆιον
φαίνεται. εἰσὶ δὲ καὶ τρεῖς παρεκβάσεις, οἷον φθοραὶ
τέτων, ἢ τυραννίς, ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία.*

*Cicero in lib. 3. de Repub. Tunc est, inquit, Res-
publica, cum benè ac iustè geritur : sive ab uno rege,
sive à paucis optimatibus, sive ab uniuerso populo.
Cum verò iniustus est rex, quem Tyrannum more
Græco*

Græco appellamus: aut iniusti optimates: aut iniustus ipse populus: nulla est Respublica.

CAPVT VI.

Rectene Oligarchici sibi arrogant ius imperandi, propterea quod diuitijs, nobilitate, aut potentia cæteris sunt superiores: Democratici verò, quia libertate sunt cæteris æquales?

Ληπλέον δὲ
πρωτόν τι
νοῖς ὄρεται
λέγουσι.

V Triq̄, quidem videntur καὶ ἄπ, id est, aliqua ex parte iure sibi vendicare imperium: sed tamen non nituntur eo iure, quod est ἁπλῶς simpliciter, & absolutè iustum: atq̄, adeò falsa consequentia seipfos decipiunt. Non enim vera est hæc consequentia: Oligarchici sunt nobilitate, diuitijs, & potentia cæteris superiores: igitur sunt simpliciter & absolutè superiores, & iure sibi vendicant in illos imperium. Neq̄, etiam sequitur: Democratici sunt libertate ijs, qui imperant, pares: igitur simpliciter, & per omnia sunt illis æquales. Potest enim fieri, ut qui in Oligarchia diuitijs & nobilitate sunt superiores, tamen virtute cæteris sint inferiores: & qui in Democratia libertate sunt æquales, tamen virtute & alijs rebus sint inæquales & superiores.

Qua igitur re potissimum ius imperandi est æstimandum & definiendum?

Virtute: quia tanta est eius præstantia & digni-

tas, ut merito ipsa sit verus ὄρος, terminus, quo verum & legitimum imperium circumscribitur & continetur: unde etiam virtuti, & ijs qui virtute præditi sunt, iure imperium in civitate & repub. debetur.

Quare autem virtus est ὄρος, terminus iusti imperij in civitate?

Propter duas causas. Primum, quia virtus est vera mensura & regula, secundum quam omnium rerum, maxime verò actionum humanarum bonitas & perfectio æstimanda est: quemadmodum affirmat Aristoteles in lib. 3. & 9. Eth. cap. 4. & lib. 10. cap. 5. Deinde quia virtus plurimum confert ad principalem finem civitatis, hoc est, ad beatitudinem, quæ maxime consistit in actionibus virtutis: quemadmodum ex Ethicis constat.

Quid hinc colligis?

Ex his patet, quòd ij, qui in Aristocratiâ imperant, nituntur τῷ ἀπλῶς δικαίῳ, absoluto iure: ij autem qui in Oligarchiâ imperant, nituntur solum τῷ κατὰ τι δικαίῳ, iure secundum quid.

An non civitates etiam initiò constitutæ fuerunt propter rerum necessariorum acquisitionem, vitæ societatem, mutuam auxilium, & rerum commercia exercenda?

Maximè, quoniam ista omnia requiruntur

ὄρος

πρὸς τὴν τῆς πόλεως ἀντάρκειαν, de qua in definitione eius dictum est, hoc est, ut civitas habeat sufficientem copiam omnium eorum, quæ ad vitam commodè degendam sunt necessaria. Sed tamen ista non sunt principalis finis civilis societatis: verum τὸ εὖ ζῆν, seu ἡ εὐδαιμονία, id est, beatitudo, quæ in actionibus virtutum posita est, ut nimirum homines in ista societate rectè, & ex virtute simul benè beateq; vivant.

Quomodo probat Aristoteles ista, quæ modò enumerasti, non esse primarium finem civitatis?

Φανερόν
τοῖον ὅτι ἡ
πόλις ὄντως
ἔστι κτηνω-
γία.

Ex absurdis consequentibus. Nam si divitiæ sunt principalis finis civitatis, igitur Oligarchia est optima Reipub. forma: quoniam in ea, in eligendis magistratibus honores illi conferuntur præcipuè ijs, qui maximum habent censum, & reliquis sunt ditiores. Deinde si propter solam vitæ communionem civitates sunt constitutæ: tunc etiam servi qui simul vivunt, & labores suos peragunt: imò etiam quædam bestię quæ simul gregatim pascuntur, viderentur constituere civitatem. Tertio, si civitates solum constitutæ essent, propter mutua fœdera & auxilia: aut propter commercia invicem exercenda: tunc etiam ij populi, qui in remotissimis locis habitant, & tamen confœderati sunt, & inter se commercia exercent, possent unam civitatem con-

stituerent. Sed quia ista omnia falsa, & absurda sunt, ideò etiam falsum est dicere, civitates propter istos fines precipue constitutas esse.

CAPVT VII.

Ἡ δὲ ἐπι-
τη λυχθεϊ-
σαι ἀπο-
ρίαι.

Cui permittendum est τὸ κύριον τῆς πόλεως, id est, summum imperium in civitate?

AD hanc questionem Aristoteles respondet circa finem huius capituli cum distinctione, id est κατ' ἀφορίσεις, καὶ θέσιν. Summum imperium in civitate simpliciter neque solis legibus, neque solis hominibus: sed utrisque simul concedendum est: primario quidem legibus, si sunt bonae: secundario vero hominibus, virtute & prudentia excellentibus: in iis nimirum rebus & casibus, de quibus in legibus nihil certi est definitum & statutum.

Quare non solis legibus summa potestas in civitate est tribuenda?

Propter duas causas. Prima est, Quia interdum leges quaedam sunt male, & iniquae: nempe in vitiosis Rerum pub. formis, ut in Tyrannide, & Oligarchia, ad quas ipsae sunt accommodatae: quibus qui obtemperat, potest quidem civis bonus, non autem vir bonus nominari. Altera causa est, Quia nonnunquam leges aliqua, quod ad τὸ ῥητόν, hoc est, verba ipsa attinet, videntur esse vel obscura & ambigua: vel nimis dura & rigida: ideoque requi-
runt

runt aliquam *ἐπιείκειαν*, equitatem, seu benignam virorum prudentium & bonorum interpretationem & moderationem.

Quare non solis hominibus summa potestas in civitate est concedenda?

Quia omnes homines obnoxij sunt affectibus, quibus pleriq; ita rapiuntur & trahuntur, ut quod verum & rectum est, aut intelligere, aut si intelligunt, sequi non possint: & propterea in iudicando, & dicenda sententia sæpissime falluntur, & à vero & iusto aberrant.

Quæ autem hoc loco circa homines notanda est distinctio?

Si hominibus permittendum est in civitate summum imperium, tum illud permittendum est vel uni, vel paucis, vel omnibus simul. Quando uni homini conceditur, tunc ille vel est bonus & virtute excellens, & nominatur Rex, eiusq; imperium est bonum, & vocatur Regnum: vel est malus & improbus, & dicitur Tyrannus, eiusq; imperium est malum & iniustum, & appellatur Tyrannicum. Quod si paucis aliquibus excellentibus in civitate permittitur dominium, tunc illi vel excellent virtute, & eorum imperium appellatur Aristocraticum: vel excellent nobilitate, divitijs, aut potentia, & eorum imperium vocatur Oligarchicum. Si omnibus, tunc illi vel æquales sunt libertate, &

CORIUM

eorum imperium dicitur Democraticum: vel virtute & libertate simul, & eorum imperium nominatur Politicum, specialiter sic dictum.

Quibus igitur existimas inter hos summum imperium in civitate permittendum esse?

Tria sunt hic notanda. Primum, quantum ad bonos & virtutibus excellentes attinet, extra controversiam est, talibus imperium esse tribuendum, hi enim soli possunt bene & utiliter alijs imperare. Deinde, Quòd etiam malis & improbis hominibus non sit nimia potestas in civitate concedenda, consimiliter manifestum est: non solum quia potestate sua abuterentur in perniciem subditorum: verum etiam quia propter hanc potestatem, quæ illis Reipub. nomine fuit concessa, omnia eorum etiam iniqua decreta, & male actiones, viderentur posse habere aliquem prætextum iuris, quasi essent iuste & rectè ab illis facta: quoniam ea quæ decernuntur ab ijs, penes quos est summum in aliqua civitate & Reipub. imperium, communiter putantur esse iusta: etiam si sæpè ab illis decernantur ea, quæ sunt iniqua: ut fit in Tyrannide, in Oligarchia, & in mala Democratia. Tertio, etiam de uno rege, & paucis optimatibus dubitari potest, utrum semper utile sit, talibus summum imperium concedere: propterea quòd hoc modo ceteri omnes videntur ab istis honoribus planè esse exclusi: quæ res, quia non caret ignomi-

ignominia, facile poterunt inde existere offensiones, invidia, emulationes, tandem etiam turba & seditiones, adversus eos, quibus solis ad eiusmodi honores patet aditus. Quæ sanè res periculosa est civitatibus & Rebuspub.

Quare paucis optimatibus concedendum est imperium?

Quia in talibus videntur omnia illa virtutum ornamenta & dona, quæ ad rectè imperandum requiruntur, quodammodo esse comportata, quæ in cæteris hominibus tantùm particulatim & seorsim conspiciuntur.

Semper ne pauci optimates præferendi sunt in imperio multitudini seu populo?

Ὅτι δὲ δεῖ
κύριον εἶ-
ναι μᾶλλον
τὸ πλῆθος

Non semper. Sed notanda est hoc loco hæc distinctio. Duo sunt genera multitudinis seu populi: unum est eorum, qui prorsus sunt agrestes, rudes, & imperiti, ac propterea ad imperandum planè inepti. Alterum est liberorum hominum, qui etiam aliqua prudentia sunt præditi, & amantes sunt honestatis: ex hoc genere etiam possunt deligi aliqui, quibus imperium est concedendum: atq; hac ratione tales multi præferendi sunt paucis optimatibus: nam multorum virtutes simul considerate, possunt superare paucorum optimatum virtutes. Declaratur hæc responsio duabus similitudinibus. Prima,
Quem-

Quemadmodum convivium, quæ multorum sumptibus apparantur, lautiora et splendidiora esse possunt quam ea quæ paucorum sumptibus instruuntur: ita etiam multorum consilia simul collecta, possunt meliora & utiliora esse, quam paucorum: iuxta proverbium, Oculi plus vident, quam oculus. Altera similitudo. Quemadmodum plures poetae, musici, pictores, & similes artifices melius possunt iudicare de aliquo poemate, cantu, pictura, aut simili aliquo opere, quam unus: ita plures melius possunt de aliquo negotio Reipub. consultare, quam solum unus, aut pauci.

Διὸ καὶ τῶν
ἐπιπέποιθ
ἐν τῇ πόλει
ἀναγκαῖον.

Quoniam dixisti etiam populo posse interdum in civitate aliquam potestatem concedi: quaero ex te, Quarum rerum potestas populo fit concedenda?

Pro huius questionis explicatione, notandum est, duplices esse magistratus: alij enim sunt summi & maiores: alij verò inferiores, & minores. Quia verò ad summos magistratus rectè administrandos requiritur magna potentia, singularis iustitia, & multarum rerum experientia: populus autem plerumq; est imprudens, imperitus, & iniustus, quemadmodum dici solet, homine imperito nihil esse iniustus: ideò summi magistratus populo non possunt facile & tuto committi. Ne autem populus existimet, se planè à publicis honoribus & officijs excludi, idq; egre ferat: ideò possunt ei inferiores & minores

res

res magistratus concedi. Atq; hoc confirmat Aristoteles auctoritate & facto Solonis, qui populo quidem concessit, ut interesset electioni magistratum, & audiendis rationibus eorum, quæ in magistratu gesta sunt: ut verò solus per se imperaret, non permisit: & Aristoteles hoc loco ait, populo concedi posse, ut intersit publicis consultationibus. et iudicijs: existimans hac ratione prudentiorum consilia quodammodo posse temperari, & ad bonam mediocritatem revocari, si commisceantur cum imperiti populi consilijs: quemadmodum crassior cibus, commixtus cum subtiliore & puriore cibo, melius & salubrius præbet nutrimentum, quam si uterq; seorsim assumatur.

I. Obiectio. Atqui magistratum eligere, rationes gesti magistratus examinare, de rebus gravibus consultare, & de magnis controversijs rectè iudicare, sunt res magni momenti: ad quas rectè peragendas, requiritur non vulgaris prudentia, longa experientia, & singulare iudicium: quæ non videntur esse in imperita multitudine?

Responsio. Vera quidem hæc sunt: sed tamen non propterea populum omninò à talibus negotijs administrandis excludunt. Nam si singuli ex populo seorsim intelligantur, tum nihil horum possunt præstare: si verò coniunctim omnes simul intelligantur, tum poterunt ea melius præstare, quam pauci, licet videantur esse optimi.

II. Obiectio

Ἐχει δὲ ἡ
πόλις αὐτὴ
τῆς πό-
λιτείας ἀ-
πορίας.

Ἐπειτα δὲ
αὐτῶν τῶν
ἀνθρώπων.

II. Obiectio. De rebus ignotis nemo potest rectè iudicare : populus autem ignorat, quo pacto magistratus sit administrandus. Ergò de rationibus rerum in magistratu gestarum non potest rectè iudicare?

Responsio. Non semper necesse est eum, qui de aliorum operibus velit iudicare, etiã tenere eam artem, per quam possit similia opera efficere. Neq̄ enim soli artifices possunt de operibus suarum artium iudicare, utrum rectè facta sint, nec ne; sed etiam y, qui operibus eorum utuntur, etiam si ea facere non possint. Exempli gratia, De domo, utrum ad usum commodè sit extructa, meliùs potest iudicare is, qui eam inhabitat, quàm ipse architectus: de Cithara utrum rectè sit fabricata, meliùs iudicare potest Citharædus, qui ea utitur, quàm is qui eam fecit: de epulis utrum benè sint preparatae, meliùs iudicare possunt convivæ, quæ illis vescuntur, quàm coquus: undè Martialis scribit: Coquum debere habere domini sui gulam.

CAPVT VIII.

Εἰ γὰρ οἱ
μὲν βρα-
δείας, οἱ δὲ
ταχέας.

Dixisti suprâ, eos quibus magistratus & honores in civitate conferendi sunt, debere aliquo bono cæteris antecellere: intelligit ne Aristoteles quorumlibet bonorum excellentiam, ὑπεροχὴν?

M Inimè. Alioquin enim etiam propter excellentiam

lentiam bonorum corporis, ut formæ, roboris, sanitatis, velocitatis pedum, & similibus rerum, honores et magistratus essent aliquibus conferendi: quod est absurdum.

Quæ sunt igitur illa bona, quæ in huiusmodi honoribus conferendis sunt spectanda?

Quinque potissimum ab Aristotele in hoc capite enumerantur, quæ propterea etiam ab eo nominantur ἀγαθὰ πολιτικά, bona civilia: quia ad civilem societatem & gubernationem magnum præstant adiumentum. Nempe ἡ ἀρετὴ, virtus: ἡ εὐγένεια, nobilitas: ὁ πλοῦτος, divitiæ: ἡ ἐλευθερία, libertas: & ἡ δύναμις τοῦ πλοῦτος, populi potentia.

Quare propter ista bona honores sunt conferendi?

Quia sine his civitas vel plane non consistere, vel saltem non bene constitui potest.

Suntne singula ista bona eodem modo spectanda in eligendis magistratibus, & conferendis honoribus?

Minimè. Nam eorum magna est varietas & differentia. Quædam enim ex his sunt necessaria: quædam verò non sunt necessaria, sed honoraria. Et necessaria rursus sunt duplicia: quædam sunt simpliciter necessaria ad omnem civitatem constituendam, sive bene, sive male sit constituta: ut sunt

M

Divitia & Libertas: nam ex solis pauperibus aut servis nulla potest constare civitas. Quaedam necessaria sunt secundum quid, nempe ad bonam beatamq; constituendam civitatem: ut est virtus, cuius duas Aristoteles precipue species enumerat, quae in civili societate maxime sunt necessariae: Iustitiam nimirum domi in pace: Fortitudinem foris in bello. Honoraria bona sunt, quae pertinent vel ad ornamentum & splendorem civitatis, ut est Nobilitas: vel ad eius defensionem & conservationem, ut est externa potentia.

Quod est autem praecipuum bonum ex his quinque, quod in honoribus & magistratibus conferendis maxime est spectandum?

Virtus: quia ea plurimum confert ad commune bonum & principalem finem civitatis, qui est in eudaimonia, id est, civilis felicitas: quae potissimum consistit in actione virtutis: per eam enim civitas optime potest administrari.

Quomodo Aristoteles declarat?

Exemplo simili aliarum artium. Quemadmodum in alijs artibus & scientijs honores, laudes & premia artificibus tantum tribuuntur propter illud bonum, per quod in sua arte excellunt, ac possunt opus suae artis optime efficere: ita in Republica
magistra-

magistratus & honores ijs tantum conferendi sunt, qui excellent eo bono, per quod Respub. optimè potest administrari: non autem propter alia bona, quæ ad Reipub. rectam administrationem parum, aut nihil conferunt.

An non videntur etiam reliqui cives istos honores jure in civitate petere, videlicet Divites, propter amplas possessiones, quas in urbe, & extrâ urbem habent: Nobiles verò propter antiquitatem & splendorem familiæ, quæ civitati sunt ornamento: Plebeij deniq; propter potentiam: quia numero sunt cæteris superiores?

ἔτι καὶ οἱ
ἐν τῇ πόλει
πλεῖστον.

Rectè dicis, quòd isti quoq; ius aliquod prætendunt, propter quod existimant sibi deberi imperium in Repub. Verùm hoc ipsorum ius, non est ἀπλῶς δικαίον, id est, simpliciter ius, sed solum κατὰ τι, aliqua ex parte: proinde non sequitur, divites vel nobiles excellent uno aliquo bono, ut divitijs, seu nobilitate: igitur simpliciter in omnibus sunt cæteris præferendi. Prætereà ista bona quibus excellent, per se non multum conferunt ad principalem finem civitatis: nisi tantum per accidens & secundum quid.

Sed quid faciendum est, si in aliqua civitate simul reperiuntur & divites, & nobiles, & plebeij: qui de istis honoribus contendunt?

Ἄρ' ἐν αὐτῇ
πάντες εἶ-
εν ἐν μιᾷ
πόλει.

Hic considerandum est, qualis forma sit Reipub.

M 2

Nam in Oligarchia honores isti conferendi sunt di-
vitibus & nobiles: in Democratia verò, plebeis:
in Aristocratijs, qui virtute excellunt.

Quid igitur in universum in magistratibus & ho-
noribus conferendis est fa-
ciendum?

In conferendis magistratibus & publicis officijs
semper spectandum est totius civitatis, omniumq;
civium commodum: τὸ τῆς ὅλης πόλεως Συμφέ-
ρον, καὶ τὸ κοινὸν τὸ τῶν πολιτῶν: quod præceptum
etiam bono legislatori imprimis observandum esse
Cicero in libro primo Officiorum ex lib. 7. Plat. de
Repub. his verbis refert: Qui Reipub. præfuturi
sunt, hoc Platonis præceptum teneant: ut totum
corpus Reipub. curent: qui autem parti civium
consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam
in civitatem inducunt, seditionem & discordiam.

C A P V T IX.

Εἰ δὲ τις ἐ-
στὶν εἰς το-
σούτων δια-
φέρων.

Estne pro cive habendus, & pari modo quo reli-
qui cives legibus subijciendus is, qui virtute, no-
bilitate, divitijs, & alijs bonis, cæteris ci-
vibus adeò excellit, ut propter istam
excellentiam non videatur cum
illis esse comparandus?

SI quis fortè talis in civitate reperiat, qualem
descripsisti: is revera neq; pro cive est habendus,
neq; iisdem legibus, quibus cæteri, subijciendus.

Quibus

Quibus argumentis Aristoteles hoc confirmat?

Quinq̄. Quorum primum est tale: quicumq̄ est verus civis in aliqua civitate, is etiam dicitur esse pars eius civitatis. Sed talis qui hoc modo virtute sua, ceteris omnibus civibus antecellit, non potest revera pars dici civitatis. Ergo talis non potest revera pro cive haberi: & per consequens etiam iisdem legibus non est subijciendus. Minor probatur à natura partium alicuius totius, quæ debent sibi mutuò analogicè, hoc est, secundum proportionem ita correspondere, ne videantur diversorum corporum esse partes. Exempli gratia, si in corpore humano unus pes multò longior sit altero pede, non videbitur ad illud corpus pertinere: ita si caput aut aliud aliquod membrum, proportionem non respondeat ceteris membris corporis.

Quod est alterum argumentum?

Qui admodum sunt inæquales, non debent neq̄ possunt æquali loco & iure haberi. Sed qui virtute ad eò ceteris civibus antecellit, is est illis inæqualis. Ergo non potest æquali loco & iure cum illis haberi, & legibus subijci. Nam facta comparatione, videtur quasi DEVS quidam inter illos esse.

Quod est tertium argumentum?

Leges feruntur tantum iis, qui seipso in officio

M 3

continere vel non possunt, vel nolunt: ut nimirum à vitijs coërceantur. Sed qui virtutibus adeò excellit, ut omnes reliquos superet: is ultrò officium facit, & quodam modo sibi ipsi lex est: imò etiam alios suo exemplo ad virtutem potest excitare. Ergo talis non est iisdem legibus cum cæteris civibus subijciendus.

Quod est quartum argumentum?

Quartum argumentum sumitur ab exemplo fabuloso Antisthenis, continens absurdum consequens: Quemadmodum olim in comitijs animalium, lepores derisi fuerunt, cum postularent, ut Leones equali iure, & iisdem legibus cum ipsis viverent: propterea quòd virtute & viribus leones plurimum ipsis antecellere viderent. Ita quoq; absurdum, & ridiculum esset, in civitate eos, qui plurimum cæteris civibus antecellunt, velle cogere, ut iisdem legibus cum cæteris civibus sint subiecti.

Διὸ καὶ πέν-
θενται τὸν
ὁσερικισ-
μόν.

Quod est quintum argumentum?

Quintum argumentum sumitur à consuetudine, & factò quarundam civitatum Græciæ, quæ à populo gubernabantur. Hæ enim, ut equalitatem inter suos cives conservarent, solebant eum, qui propter virtutis, nobilitatis, divitiarum, aut similium rerum excellentiam, vellet cæteris antecellere, & non
amplius

amplius pari cum illis iure & loco haberi, talem, inquam, solebant ad certos annos è civitate relegare, & quasi in exilium ad aliquod tempus mittere, ad reprimendam et imminuendam eius auctoritatem & potentiam: ne fortè propter excellentiam suam altiores spiritus sumere, & dominatum atq; imperium in civitate, ceteris civibus oppressis, affectare auderet. Hanc relegationem peculiari vocabulo ὀσπαισμὸν nominabant: ὀσπὸ τῶν ὀσπράκων, id est, à testis sive calculis, quibus nomina eorum, qui relegabantur, erant inscripta. Apud Syracusanos dicebatur πεταλισμὸς, ὀσπὸ τῶν πετάλων, à folijs arborum: per qua suffragia colligebantur.

Quomodo declaratur ab Aristotele hoc argumentum?

Μυθολο-
γεῖται δὲ
ἢ τὰς Ἀρε-
γοναύταις

Huius relegationis Aristoteles quatuor commemorat exempla. Primum est fabulosum de Hercule, qui è societate Argonautarum fuit exclusus, tantum propter hanc causam, quòd existimarent eum excellentiorem esse, quàm ut possit cum illis pari loco & iure haberi in perferendis navigationis laboribus & molestijs.

Alterum sumitur à Periandri Corinthiorum Tyranni consilio, quod dedit Thrasybulo Milesio affectanti Tyrannidem: suadens ut precipuos ci-

M 4

ves è medio tolleret, si velit regnum occupare.

Tertium est de Atheniensibus, qui Chios, Samios, & Lesbios socios suos & confœderatos subegerunt, eorumq; vires fregerunt: ne cogerentur sibi deinceps ab illis metuere.

Quartum exemplum est de rege Persarum: qui cum videret Medos et Babylonios recordatione veteris imperij, quod aliquando habuissent, rursus magnos spiritus assumere, & elatiore animo fieri: eorum vires ita fregit, nequid deinceps auderent adversus ipsum moliri.

NOTA. Huius relegationis etiam Cicero meminit in lib. 5. Tuscul. his verbis: Heraclytus Physicus de Principe Ephesiorum Hermodoro scribit, universos Ephesios esse morte mulctandos, quod cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt: Nemo de nobis unus excellat: sed si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit. Quid Aristides? nonne ob eam causam expulsus est patria, quod præter modum iustus esset?

Est ne hæc ratio relegandi viros claros
justa?

Ad hanc questionem Aristoteles respondet per duplicem distinctionem: quarum prima sumitur à causa finali: altera ex differentia formarum Reipublicæ.

Quæ

Quæ est prima distinctio?

Ostracismus consideratur vel simpliciter & per se: & sic videtur esse iniustus: Nam viri excellentes potius retinendi sunt & honorandi in civitatibus, quàm eijciendi. Vel consideratur respectu finis, propter quem fuit inventus, & tunc videtur in se habere τὸ δίκαιον πολιτικόν, ius quoddam politicum: nimirum ad conservandum tranquillum statum civitatis: quem nonnunquam viri excellentes propter regnandi cupiditatem, & honorum ambitionem solent perturbare. Cuius rei manifestum est exemplum in Caio Iulio Cesare, qui regnandi gratia, etiam ius violandum esse cum Euripide affirmavit.

Διὸ κατὰ τὰς ὁμολογημένας ὑπεροχάς.

Estne hæc ratio tollendi inæqualitatem inter cives, bona & laudabilis?

Minimè: quoniam est enim violenta, ideò etiam est iniusta. Proinde boni legumlatoris officium est, potius initio Rempub. ita constituere, ne possit talis inæqualitas inter cives exoriri, quàm postquam exorta est, velle eam tam violento remedio corrigere, aut tollere.

Quæ est altera distinctio?

Altera distinctio sumitur à diversis speciebus seu formis Rerumpublicarum: quarum alie sunt bone, & ut Aristoteles suprà nominavit, ὀρθαί,

Ἐν μὲν δὲ τὰς παρεμβητικαῖς πολιτείας.

M 5

recte: alie verò sunt vitiosa & prava: qua supra nominantur παραβλάσεις, aberrationes. Itaq; in bonis Rebus pub. iniquum est, eiusmodi excellentem virum, aut e civitate eicere, aut cogere, ut legibus eodem modo sit subiectus, quo reliqui vulgares cives: cum potius æquum esset, ut reliqui ultrò se illius imperio subicerent: ipseq; veluti perpetuus rex in civitate esset. In malis verò & pravis Rebus pub. aliquomodo utile & iustum videri potest, eiusmodi virum, qui propter virtutis excellentiam non potest pari iure & iisdem legibus cum ceteris vivere, non habendum esse pro cive: propterea quòd videtur quasi Deus quidam esse inter homines.

CAPVT X.

DE REGNO.

Ἦσως δὲ καὶ
 λαὸς ἔχει
 μετὰ τὰς
 εἰρημίας
 γὰρ.

Quæ est prima & præcipua forma politica
 gubernationis?

EA qua nominatur βασιλεία, Regnum, seu Μοναρχία βασιλική, Regia gubernatio: & ut Cicero lib. 3. de leg. loquitur, regalis potestas: quod genus imperij, ipse in eodem loco affirmat, primum ad homines iustissimos & sapientissimos fuisse delatum.

Sunt

Sunt ne plures species Regni?

Maximè, pro diversa Regum potestate. Nam Reges aliqui habent plenam & liberam potestatem imperandi & mandandi: atq; hi nominantur αὐτοκράτορες, quasi soli, & per se domini existentes: nominantur etiam ἀνυπεύδουνοι, id est, non subiecti rationibus: qui nemini coguntur rationes sua administrationis reddere. Alij verò habent potestatem definitam & limitatam: atq; hi rursus vel certis legibus sunt circumscripti, secundum quas debent Rempub. administrare: vel adiunctos habent custodes, & quasi censores, qui eos continent in officio, ne sua potestate adversus subditos abutantur: quemadmodum apud Lacedaemonios regibus additi fuerunt Ephori.

Quot igitur Aristoteles in hoc loco enumerat species Regni?

Ἦν γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτεία.

Quinq; , nempe Regnum Laconicum, Barbaricum, Asymmetia, Heroicum, & Plenarium. Λακωνικὴ, Βαρβαρικὴ, Αἰσυμμητεία, Ἡρωικὴ, Πανβασιλεία.

Quid est regnum Laconicum?

Regnum Laconicum est imperium militare, legitimum, perpetuum, & hereditarium, cum summa potestate. ἡ βασιλεία Λακωνικὴ ἐστὶ στρατιὰ τίς νόμιμος.

νόμιμον, αυτοκρατόρων αἰδιος, ἀπὸ βίης, κατὰ γένος.
 Erat quasi praetura militaris apud Romanos.

Quid est regnum Barbaricum?

Regnum Barbaricum est imperium quoddam herile, hereditarium & legitimum. Μοναρχία βαρβαρική ὅτιν ἀρχὴν δεσπολικὴν ἐκ γένους, καὶ κατὰ νόμον.

NOTA. Haec species regni videtur esse quaedam Tyrannica potentia: sed differt à Tyrannide. Primum, quia Tyrannus nullis legibus est subiectus: sed omnia pro arbitrio administrat: hic autem Rex secundum leges patrias gubernat. Deinde Tyrannus violenter imperat invitis & nolentibus: Hic autem Rex imperat placide volentibus. Tertio, Tyrannus cogitur metuere suos subditos, seq̄q̄ contra eorum vim munire praesidijs. Hic verò rex à suis subditis, eorumq̄ custodia contra externam vim defenditur. Quarto, quia hoc regnum est hereditarium per successionem: Tyrannicum verò imperium plerunq̄ est violentum.

Ἐπεὶ δὲ
 ὁ περὶ ἧν ἐν
 τοῖς ἀρχαῖς
 οἶσιν.

Quid est Αἰσυμνησία?

Αἰσυμνησία est imperium propè Tyrannicum, per suffragia ad aliquem delatum. αἰσυμνησία ὅτιν αἰρετὴ τυραννίς: differt à barbarica monarchia: primum quia non est hereditaria & per successionem: sed est per electionem. Deinde, quia hoc imperium non est perpetuum, sed ad certum tempus alicui conceditur.

Quid

Quid est regnum Heroicum?

Τέταρτον
δ' εἶδος
μοναρχί-
ας βασι-
λικῆς.

Regnum Heroicum est imperium, quale fuit Heroum temporibus, voluntarium, hereditarium, ac legitimum. ἡρωϊκὴ μοναρχία ὄσιν ἀρχή, ἢ κατὰ τὰς ἡρωϊκὰς χρόνας, ἐκδόσιός τε, καὶ πατριος γίνομένη κατὰ νόμον.

CAPVT XI.

Quid est Παμβασιλεία?

Πρῶτον δὲ
τῆς παμ-
βασιλείας
καλουμένης.

Παμβασιλεία est imperium, in quo unius omnium rerum summam habet potestatem. Παμβασιλεία ὄσιν ἀρχή, καὶ ἢν ὁ βασιλεὺς πάντα κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἀράτῃ καὶ ἀρχῇ: ut in sequente capite dicitur. Hæc species regni similis est imperio Oeconomico, in quo paterfamiliæ omnium rerum plenissimam habet potestatem, & omnia ad familie utilitatem administrat. Est autem hæc forma gubernationis ex tribus bonis optima.

Est ne melius ab uno aliquo viro optimo Kemp. gubernari, an ab optimis legibus? vel quod idem est: Regi ne potius, quàm legibus in civitate concedendum est imperium?

Ἀρχὴ δὲ
ἐπὶ τῆς ζη-
τήσεως
αὐτῆς.

Hæc questio comparationem habet Regis ac Legum: est ἴση similis ei questionem, qua supra in septimo capite fuit explicata: Vtrum summum imperium in civitate legibus potius, an hominibus sit permit-

permit-

permittendum. Disputatur autem ab Aristotele quoque in utramque partem. Ac primum, quod Regi potius, quam Legibus concedendum sit imperium, eius adfert duas rationes. Prima, Quia Leges solum generatim & universaliter precipiunt, de rebus faciendis vel omittendis: Rex autem potest sigillatim de singularibus rebus aliquid certi indicare & statuere: consideratis omnibus circumstantiis, quas leges neque previdere, neque etiam verbis exprimere potuerunt. Secunda ab exemplo similitudine ceterarum artium. Quemadmodum artium perfectio magis cernitur in singularium operum effectu, quam in sola cognitione universalium preceptorum: ita quoque bona Reipub. administratio magis consistit & cernitur in prudentium virorum bonis consiliis circa negotia singularia recte peragenda, quam in universali legum preceptione, et observatione.

Κρείττον
 δε οἱ μὴ
 ἐστὶν ἔσθ.

Quibus argumentis probat legibus potius, quam Regi imperium esse concedendum?

Etiam duobus. Primum, Sine qua re neque Rex, neque ullus alius magistratus recte imperare potest, ei quoque rei iure debet imperium concedi. Sed sine legibus neque rex, neque ullus alius magistratus recte imperare potest. Ergo legibus concedendum est imperium. Alterum, Imperium quod est sine affectibus, melius est eo, quod est cum affectibus. Sed legum

gum imperium est sine affectibus: Regum autem imperium non est planè sine affectibus. Ergo Legibus potius debetur imperium, quàm Regi.

Quæ est Aristotelis sententia de hac quæ-
stione?

Αλλ' ἵσως
ἐν Πολιτ.
π5.

Aristoteles ingreditur mediam inter duas prædictas opiniones viam, & affirmat, utrisq; & Regi seu hominibus, & Legibus imperium esse concedendum. Legibus quidem, in ijs rebus & negotijs, in quibus manifestè, & certò aliquid definiunt & statuunt. Regi verò sive hominibus in ijs negotijs, in quibus leges deficiunt: & nihil certi potuerunt determinare: atq; huius responsionis tres adfert rationes. Prima, Quia Rex prudens potest particularia observare, & diiudicare: atq; hoc modo ea legibus accommodare. Secunda, Quia Rex est legis corrector & interpret: quatenus sequitur equitatem, neq; urget summum ius, quod sæpè est summa iniuria. Tertia, Quia Rex est custos & defensor legis: si modo lex sit iusta.

Sed hîc rursus quæritur: utrum ab uno aliquo, an verò à multis sit determinandum illud, quod à legibus non est manifestè determinatum, & definitum?

Εἰ δὲ δι
τοῦτο μὴ
ῥαδόν.

Ad hanc questionem respondet Aristoteles, Multorum prudentium virorum iudicio potius standum

standum esse, quàm unius alicuius, licet videatur esse prudentissimus. atq; huius rei adfert tres rationes. Prima est, Quia multi simul coniuncti, prudentiores sunt, quàm unus aliquis. Altera, Quia singularia melius possunt à pluribus observari & dijudicari, quàm ab uno. Tertia, Quia multi minus possunt pecunia corrumpi, quàm unus.

Obiectio. Atqui si pluribus, quàm uni conceditur imperium: illi facilè possunt inter se dissidere: unus autem est ἀστασις ⊙, id est, non obnoxius est dissidijs: igitur uni potius, quàm pluribus concedendum est imperium?

Solutio. Boni viri sive pauci sint, sive multi, nō dissident inter se: quia propter virtutem, qua praediti sunt, semper eodem modo in Reipub. administratione sunt affecti: respicientes nimirum ad eundem finem, communem civitatis utilitatem & felicitatem. Proindè adhuc videtur, pluribus potius bonis, quàm uni alicui imperium in civitate esse tribuendum. Ex quo etiam sequitur Aristocratiam meliorem esse Regno, seu Regia gubernatione.

Καὶ ἀπὸ
τούτ' ἴσως
ἐβασιλεύ-
οντο πλεί-
οντα.

Cur igitur initio apud antiquas pleræq; ferè civitates, solùm ab uno, tanquam Rege, fuerunt administratae?

Aristoteles tres adfert rationes. Prima, Quia rarò reperiebantur plures, qui imperio digni viderentur.

rentur. Secunda, Quia primæ civitates non adeò magnæ & amplæ fuerunt: ita ut facile possent ab uno administrari. Tertia, Quia primi homines ultro, & sua sponte sese subiecerunt viris præstantibus, partim propter virtutem qua excellabant: partim propter beneficia quæ ab illis vel acceperant: vel se accepturos sperabant.

Quomodo autem factum est, ut regiæ istæ gubernationes fuerint mutatæ in alias formas
Rerumpublicarum?

Ἐπεὶ δὲ
κυβερνα-
νε γίνε-
ται.

Principio quidem, ut antea dictum est, civitates ferè tantùm per Reges, vel potius Regulos, gubernabantur: eò quòd non usq̄, adeò magnæ essent: & pauci reperirentur homines virtute & prudentia excellentes, quibus imperium posset committi. Posteaquàm verò civitates paulatim fierent maiores, & plures reperirentur viri virtute & prudentia excellentes aut æquales: qui ἀἴσοι nominabantur: factum est ut ad illos pariter imperium seu gubernatio deferretur, unde ἀἰσοκρατία extitit. Cùm verò hi dimisso virtutis studio, ex Republica questum facere, & suam potentiam stabilire conarentur, mutata est ἀἰσοκρατία in ὀλιγαρχίαν: quæ postea in Tyrannicam demigravit, cum unus aliquis, cæteris paucis oppressis, solus imperium affectare tentasset. Tandem verò ex Tyrannide Democratia nata est: cùm populus agrè ferens Tyrannorum po-

N

tentiam, avaritiam, & petulantiam, seditione concitata, eos per vim eiecit, aut è medio sustulit: seq̄ in libertatem vindicavit: sibiq̄ imperium arrogavit.

Εἰ δὲ δὴ τις
ἀριστὸν
δεῖν.

Debetne Regnum esse hæreditarium?

Si semper ex bonis Regibus etiam nascerentur tales filij, qui suorum parentum vestigijs insisterent, eorumq̄ virtutes & facta imitarentur: æquũ esset, ut quemadmodum in cæteris bonis sunt hæredes, ita etiam in hac dignitate illis succederent. Sed quia sæpè filij nascuntur degeneres, & iuxta proverbium, plerunq̄ Heroum filij noxæ: verumq̄ est quod Horatius conqueritur, *Ætas parentum peior avis, protulit nos nequiores, mox daturus progeniem vitiosorem*: ideo & periculosum & perniciosum est, si regna ita sint hæreditaria, ut etiam ad improbos & malos posteris transferantur.

Ἐχει δὲ
ἀπορίαν καὶ
ὡς τῆς
δυναμείως.

Debetne Rex habere circa se præsidium?

Non iniquum est, Regi aliquod præsidium concedere: partim ut possit subditos suos in officio continere, & contumaces ad obedientiam præstandam cogere: partim verò ut munitus sit contra apertam vim, aut occultas insidias malorum & seditiosorum civium: undè etiam veteres Græci suis regibus custodes corporis addere solebant. Sed cavendum est, ne præsidia illa sint maiora & potentiora, quàm

quàm sit totius civitatis potentia: quoniam tantâ potentia munici, facile possunt eâ abuti, ad opprimendos subditos, & occupandam Tyrannidem: quemadmodum Dionysius maior Siculorum Tyrannus, & post eum Pisistratus Corinthiorum Tyrannus fecerunt.

CAPVT XII.

Quis dicitur Παμβασιλεύς?

Παμβασιλεύς quasi plenarius Rex dicitur, qui liberam & plenam habet potestatem, in suo regno decernendi & agendi, quicquid regno suo utile visum fuerit: nequã cogitur suæ administrationis cuiquam reddere rationem. Alio nomine appellatur αυτοκράτωρ, αὐτεξέσιος, ἢ ἀνυπεύθυνος.

Περὶ δὲ
τῆς Παμ-
βασιλεί-
ας.

Estne justum uni alicui, eiusmodi plenum imperium in civitate concedere?

Δοκεῖ δὲ
πρὸς οὐδὲ
κατὰ φύ-
σιν.

Ad hanc questionem respondet Aristoteles per distinctionem. Nam qui eundem civitatis sunt cives: hi vel sunt aequales & similes: vel sunt inaequales & dissimiles. Si sunt aequales, non est iustum, ut unus solus cæteris imperet: hoc enim est contra regulam iusticiæ, quæ præcipit, equalibus equalia deberi. Atqui imperare & parere, sunt inaequalia: igitur inter eos, qui aequales sunt, non est iustum, ut unus solus imperet: cæteri autem so-

lãm pareant. Sed potiùs iustum est, ut inter eos sit vicissitudo imperandi & parendi: hoc enim modo æqualitas inter eos potest conservari. Si verò sunt dissimiles & inæquales: tunc non iniustum est, ut is imperium habeat, qui omnes reliquos cives prudentia & virtutibus ita superat, ut meritò videatur præ cæteris imperio dignus esse: propter quam excellentiam etiam reliqui ultrò, & libenter ei sese subijciunt.

Κατὰ τὴν
αὐτὸν δὲ
λόγον.

Quare autem Aristoteles existimat ad rectè imperandum & iudicandum, hominibus leges esse adiungendas: Legibus autem adiungendos esse homines?

Legibus quidem ideò videntur homines adiungendi esse: ut ipsi sua prudentia partim rigorem legum mitigent: partim etiam defectum earum corrigant & suppleant. Quoniam enim universaliter debent scribi, ut ad omnes pertineant: non possunt omnes singulares casus & circumstantias verbis exprimere, aut de illis certi quid determinare. Hominibus verò ideò leges sunt addite, ut coërceant eos, ne in iudicando aut imperando ab affectibus abripiantur ab eo, quod honestum, verum, & rectum est. Sicut enim Ratio & Mens sunt divinum quiddam in homine: Lex autem, ut Cic. XI. Philip. ait, est recta, & à numine Deorum tracta ratio: ita affectus

affectus

affectus in homine sunt beluinarum quiddam: qui nisi ratione regantur, pervertunt mentem & iudicium hominis, ut de rebus agendis rectè iudicare non possit. Rectè igitur Aristoteles hoc loco ait, eos qui hominibus unà cum legibus imperium concedunt, etiam Deo tribuere imperium. Qui verò solum hominem sine legibus imperare volunt, eos quodammodo beluæ tradere imperium.

Obiectio. Atqui si homines ad eò affectibus sunt obnoxij, videntur neq; ipsi posse commode legum defectum corrigere?

Ἀλλὰ μήν
ὅτι γε μήν
δοκεῖ.

Solutio. *Verum quidem hoc est: sed tamen leges, quia carent affectibus, melius possunt homines commonefacere & erudire: quid in rebus agendis sit faciendum aut omittendum: præterea docent, quo pacto affectus sunt reprimendi: ne in iudicando nos à vero & recto avertant.*

Obiectio. An non licet interdum à legibus discedere: quemadmodum medici faciunt: qui etiam si habeant in sua arte universales regulas, secundum quas curationem deberent instituire: tamen sæpè coguntur magis se accommodare ad ipsius ægroti & morbi singulares circumstantias, quàm artis suæ præcepta sequi?

Τὸ δὲ τῶν
τεχνῶν εἶ-
ναι δοκεῖ.

Responsio. *Primum, Diversus est medicorum & politicorum scopus seu finis, quem sibi habent in sua facultate propositum. Etenim medici*

sine pravo affectu, simpliciter in curando aegroto spectant eius sanitatem: quam quò citius & facilius eidem restituant: eò maiorem mercedem et laudem inde reportant. Politici verò in gerendo magistratu & administranda Repub. multa sapè vel ad aucupandam gratiam & benevolentiam subditorum: vel etiam ad vitandam eorum offensionem, odium, & invidiam facere, vel omittere aut certè dissimulare coguntur.

Deinde, Tutior est ratio, in iudicando sequi legem scriptam, quàm ab ea recedere ad hominum arbitrium & voluntatem, quæ est incerta & mutabilis. Quia Lex nihil aliud est quàm IUS: quatenus ostendit mediam viam, quam sequi oportet: Medium autem respectu suorum extremorum est æquale quiddam: omne autem æquale est iustum: igitur etiam Lex est Ius quoddam.

Tertiò, etiam medici suis proprijs factis, suoq; exemplo testantur: Tutius esse in curandis morbis, κατὰ γὰρ μὲν ἀπὸ τῶν ἀρχαίων, hoc est, secundum artis sue præcepta mederi: quàm illis relictis, ad solam experientiam singularium confugere: & ipsimet aegrotantes consulunt eos maxime, quos sciunt artem medendi optimè didicisse, & tenere: deniq; de suis aegrotis quos curarunt, malunt fieri iudicium secundum artis medicæ præcepta à peritis medicis, quàm

quàm ab imperitis, qui artes non perfectè didicerunt.

Quare aliqui existimant potius pluribus viris bonis, quàm uni alicui, licet optimo, imperium in civitate esse concedendum?

Ἀλλὰ μὴν
ἰσθὲν ῥαδίον
ἐφοροῦν τὸν
ἕνα.

Qui Aristocratiam præferunt Regia gubernationi, quinq; potissimum nituntur rationibus: quarum prima est, quia plures melius & facilius possunt perspicere & dijudicare ea, quæ ad gubernationem Reipublicæ necessaria sunt, quàm unus aut pauci. Probatur à factò Regum, qui propter hanc ipsam causam, licet ipsis solis imperium sit commissum, tamen adiungunt sibi plures consiliarios & ministros, quorum consilio & operâ in administratione Regni utuntur: quod etiam interdum Tyranni facere coguntur, licet nullum imperij socium pati velint.

Alter ratio sumitur ex loco comparatorum, à minori ad maius: Si uni homini imperium est committendum, qui valet prudentia, & est vir bonus: igitur multò magis pluribus, qui prudentia & virtutibus excellunt, imperium est tribuendum.

Tertia ratio sumitur à duplici testimonio Ho-

meri: quorum unum extat in lib. 10. Iliad. Vbi Diomedes noluit solus suscipere negocium sibi ab Agamemnone commissum: sed postulavit sibi adiungi Vlysses: existimans per duos melius, quam per unum posse illud negocium expediri. Alterum extat in lib. 2. Iliad. Vbi Agamemnon optat, ut pro uno Nestore decem possit habere Nestores: existimans se facilius Troia potiturum, si plures tales haberet consiliarios.

Quarta ratio sumitur ab exemplo quarundam Rerum pub. in quibus licet summa sit legum auctoritas, secundum quas Respub. est administranda: tamen idem saepe magistratus pluribus gerendus committitur: ut quod per unum forte effici non potest, per alium efficiatur.

Quinta ratio sumitur à simili per absurdum. Quemadmodum absurdum & falsum est, si quis dicat, unum aliquem posse plura videre, audire, & agere, quam multos: ita quoque absurdum est dicere, unum melius posse Rempub. administrare eiusque omnia negocia perficere, quam plures.

Liber

Liber Quartus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes
huius quarti libri?

Quemadmodum Aristoteles in fine præceden-
tis libri explicavit duas præcipuas politica
gubernationis formas: Regnum scilicet, & Ari-
stocratiam: ita in hoc libro reliquas formas perse-
quitur, earumq; differentias indicat. Possunt au-
tem huius libri tres constitui partes. Prima est
velut novum exordium, in quo primùm agit de of-
ficio politici scriptoris: deinde breviter repetit ea,
quæ in Tertio libro dixerat: & ostendit quæ dein-
ceps ei sunt explicanda. Constat autem hæc prima
pars duobus primis capitibus. Altera pars à ter-
tio capite usq; ad 14. cap. extenditur: in qua singu-
las Rerumpub. formas, unà cum earum differen-
tijs explicat. Peculiariter verò in 8. & 9. cap. de ea
forma Reipub. agit, quæ communi nomine πολι-
τεία appellatur. Tertia pars in quatuor ultimis ca-
pitibus continetur: in quibus agit de præcipuis par-
tibus, ex quibus omnis benè constituta Respub. de-
bet constare.

CAPVT I.

In quibus potissimùm consistit officium ho-
minis politici?

In sex partibus consistit præcipuè politici scripto-

N 5

ris officium. Primum, ut sciat quanam sit optima Respublica.

Deinde, quæ forma Reipub. cuilibet civitati, & hominum multitudini maximè sit accommodata.

Tertiò, ut talem possit introducere et constituere formam Reipub. quæ non solum facile haberi ex rebus presentibus, verum etiam quàm diutissimè in suo statu conservari possit.

Quartò, τὸ δύνασθαι βοηθεῖν ταῖς πολιτείαις, posse opem ferre Rebuspub. male affectis & laborantibus.

Quintò, scire quot sint differentia singularum formarum Reipub. Neq; enim singula species sunt uniusmodi.

Sextò, scire quæ leges cuiq; formæ Reipub. maximè sint accommodatæ: secundum quas & ipse magistratus imperare, & in transgressores earum animadvertere oportet.

Ἔστι τι
κατὰ τὴν
ἀπλῶς.

Sed quam tu vocas optimam Rempublicam?

Aristoteles in hoc loco optimam Rempub. ait quatuor modis dici. Primum, Eam quæ est ἀπλῶς ἀείνη, simpliciter & absolutè optima: cui nihil deest eorum, quæ ad perfectam eius felicitatem pertinent. hæc infra in II. cap. nominatur πολιτεία κατ' εὐχῶν. Deinde, Eam quæ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων καὶ ὑποκειμένων ὄσιν ἀείνη, hoc est, quæ quan-

turus

tum præsens rerum status ferre potuit, optimè est constituta. Terriò, Eam quæ dicitur ἐξ ὑποθέσεως ἀείσιν, hoc est, quæ ratione finis & scopi, quem sibi propositum habet, optimè est constituta: in qua omnia ad ipsam ὑποθέσιν sunt bene directa. Quarto, Eam quæ dicitur κοινῶς ἀείσιν, communiter optima: seu quæ a plerisque indicatur optima, etiamsi revera talis non sit.

CAPVT II.

Quomodo sibi mutuò opponantur bonæ & malæ formæ Rerumpublicarum?

Regnum & Tyrannis sibi mutuò opponuntur ἐναντίως: quemadmodum Bonū Malo: proinde quia Regnum est optima forma, tanquam quæ est antiquissima, & quodammodo divine gubernationi similis: ideò necesse est Tyrannidem, quæ ei opponitur, esse deterrimam formam. Quod enim optimo opponitur, id est pessimū. Aristocratie autem Oligarchia, & Politie Democratia opponuntur ὑπεναντίως, subcontrariè: neq; enim sunt simpliciter vel bonæ, vel malæ formæ.

CAPVT III.

Quibus argumentis Aristoteles probat plures esse formas Rerumpublicarum?

Dubius. Primum sumitur ex natura totius & partium. Ea tota quæ ex partibus specie differens

Τὸ μὲν ἔν
εἶναι πλε
ους πολι
τείας ἀ
ποκ

differentibus composita sunt, etiam specie inter se differunt. Sed formæ Rerumpublicarum constant ex partibus specie differentibus. Ergo Respublicæ specie inter se differunt. Maior declaratur in sequenti capite exemplo simili, desumpto ab animalibus, quorum ideò tam multe & diverse sunt species, quia constant ex partibus sive membris specie differentibus. Exempli gratia, alia est species capitis hominis, alia equi, alia leonis, asini, cameli & ceterorum animalium, sic etiam de reliquis eorum membris: igitur ipsa quoq; animalia specie inter se differunt. Minor probatur. Quia plures sunt in civitate hominum ordines, qui specie inter se differunt. Enumerat autem Aristoteles in eodem loco octo ordines hominum specie differentes, qui plerunq; in civitatibus reperiuntur: veluti sunt Agricole, Opifices, Mercatores, Mercenarij, Milites, Senatores, Divites, Magistratus: sed præter hos sunt adhuc plures alij, quos enumerare supervacaneum est.

Τέτων γδ
ἢ μερῶν.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à definitione τῆς πολιτείας, Republicæ, quæ supra in primo capite fuit posita. ἡ πολιτεία τῶν ἀρχῶν τάξις. Respub. est descriptio seu constitutio magistratuum in omnibus civitatibus. Ergo etiam non est una solùm & eadem

eadem forma Reipub. Et per consequens, plures sunt species. Maior est definitio Reipub. Minor probatur: Quia imperium & gubernatio in civitatibus aliquando est solum penes unum, aliquando penes paucos, aliquando penes multos: præterea aliqui deliguntur in magistratum, quia excellunt virtute, alij nobilitate, alij potentia, alij opibus & divitijs, alij propter alias causas.

Quæ sunt igitur formæ five species Re-
rumpublicarum?

Μάλιστα
δι' ὀκτῶσιν
εἶναι δύο.

Fuerunt nonnulli politici scriptores, qui solum duas statuerunt esse species Rerumpub. sibi mutuò oppositas: nempe Oligarchiam, in qua pauci divites & nobiles haberent imperium: & Democrati-
am, in qua imperium & gubernatio esset penes multos pauperes & plebeios. Et ad has duas formas existimarunt omnes alias posse referri. Verum Aristoteles hoc loco rejicit hanc divisionem, & resumit eam qua in precedente libro cap. 5. fuit posita: in qua sex enumeravit Rerumpub. formas: quarum tres dixit esse ὀρθὰς rectas & bonas: nempe βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, καὶ πολιτείαν: tres verò nominavit παρακβάσεις, aberrationes, & φθορὰς vitiosas & corruptas formas: videlicet τυραννίδα, ὀλιγαρχίαν, καὶ δημοκρατίαν. Plato in Politico ponit tres species, μοναρχίαν, ὀλιγαρχίαν, καὶ πολυαρχίαν.

Idem

Idem in lib. 8. de Repub. enumerat quinque: πικραρχίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα, καὶ πολιτείαν, communi nomine, specialiter sic dictam κατ' ἐξοχῶν.

CAPVT IIII.

DE DEMOCRATIA.

Habent ne singulæ jam enumeratæ formæ Rerum publicarum proprias suas notas, quibus à se mutuò distinguuntur?

Habent, quemadmodum etiam ex earum appellationibus aliquo modo intelligi potest. Nam ἀριστοκρατία dicitur, in qua ἀριστοι, optimates, qui virtute excellunt, habent imperium. Ολιγαρχία, in qua ὀλίγοι, hoc est, pauci dominantur. Δημοκρατία, in qua ὁ δῆμος, populus habet summam potestatem, & sic de cæteris.

Est ne numerus, hoc est, paucitas & multitudo imperantium propria nota Oligarchiæ vel Democratæ?

Minimè. Et si enim Oligarchia nomen habeat à paucitate imperantium, tamen ea non sola hic consideratur, quoniam etiam in ἀριστοκρατία pauci habent imperium: itaque etiam aliæ circumstantiæ sunt considerandæ, veluti in Oligarchia sunt diuitiæ, nobilitas, & potentia: in Aristocratia verò vir-

tus,

tus, doctrina, & res præclaræ gestæ eorum qui imperant. Sic in Democratia non solum multitudo populi, verum etiam æqualitas & libertas eorum qui imperium habent, spectatur.

Sunt ne omnes Democratiaë unius generis & similes?

Ὅτι οὐκ ἔστι
τῆς δημοκρατίας

Non, sed quinque eorum differentia seu species ab Aristotele enumerantur.

Quæ sunt illæ quinque differentiaë sive species Democratiaë seu popularis gubernationis?

Prima species Democratiaë est, in qua omnibus qui civitatem inhabitant, tam civibus quam inquilinis patet ad Reipub. administrationem: ea tamen conditione, ut secundum leges eam administrent, & illud solum ratum habeatur, quod pluribus secundum leges placuerit. ἐν ἧ ἅπαντες ὁμοίως κοινωνῶσι τῆς πολιτείας: κύριον δὲ τὸ δόξαν τοῖς πλείοσιν.

Quæ est altera species Democratiaë?

Altera species est in qua omnibus qui censum, legibus præfinitum, habent, patet ad Rempub. aditus. ὅταν πᾶσι τοῖς κεκλημένοις τὸ πῆμα ὑπὸ τῶν νόμων διωρισμένον, ἔξει μιστέχειν τῆς πολιτείας. cap. 6.

Quæ

Quæ est tertia species?

Tertia species est in qua omnes ad magistratum & honores publicos admittuntur, qui nulla ignominia aut macula sunt notati. ὅταν ἕξῃσι πᾶσιν τοῖς ἀνυπευδύνοισ κατὰ τὸ γένος, μετέχειν μὲν τοῖς δυναμένους χράζειν. *infra cap. 6.*

Quæ est quarta species?

Quarta species est, in qua omnibus, qui veri cives sunt, patet ad Rempub. aditus: ea tamen conditione, ut legum summa sit authoritas. *Infra cap. 6.* ὅταν πᾶσιν ἕξῃσι μετέχειν τῆς πολιτείας, ὅσοι ἀν' ἐλεύθεροι ᾧσι: μὴ μὲν τοῖς μετέχειν, δὲ τὸ μὴ δύνασθαι χράζειν.

Quæ est quinta species?

Quinta species est, in qua sine discrimine omnibus ad Rempub. patet aditus, qualescunq; illi sint: omnisq; potestas & authoritas pendet ex voluntate & arbitrio promiscuæ multitudinis, non autem ex legibus. *infra cap. 6.* ὅταν μετέχῃσι μὲν πάντες τῆς πολιτείας δὲ τὴν ὑπεροχὴν τῆς πλήθους. κοινωνῶσι δὲ καὶ πολιτεύονται καὶ οἱ ἄποροι δὲ τὸ δύνασθαι χράζειν μισθὸν λαμβάνοντες: διὸ γίνεσθαι τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος κύριον τῆς πολιτείας, ἀλλ' ἔχ' οἱ νόμοι, hoc est, Quando omnibus quidem ad Rempub. patet aditus, propter magnam multitudinem: Rempublicam verò etiam administrant pauperes, quia mercedem

mercedem

mercedem accipientes, otium habere possunt. Unde fit ut summa authoritas & potestas Reipub. sit penes pauperum multitudinem, & non penes leges.

Quæ ex his quinque speciebus est pessima
Democratia?

Ea quæ ultimo loco ponitur. Idque propter tres causas. Prima causa est, quia à malis hominibus est introducta: partim quidem à Demagogis, hoc est, populi adulatoribus, qui suis blanditijs populi gratiam venabantur, ut ipsi interim authoritate populi muniti, suam potentiam in Reipub. paulatim auferrent & stabilirent: donec ista sua potentia etiam populum opprimerent, & dominatum in Reipublica obtinerent. Partim verò à Sycophantibus, hoc est, calumniatoribus: qui suis criminationibus & calumnijs solebant magistratum apud populum falso traducere, quasi multa iniuste & violenter ageret, populi que libertatem imminueret: atque hoc modo studebant magistratus authoritatem elevare, populi animum ab eo abalienare, occasionem ad turbas & seditiones præbere, per quas ipsi magistratus abrogarentur, & populus imperium ad se traheret.

Quæ est altera causa?

Quia hæc Democratia similis est Tyrannidi. Quemadmodum enim Tyrannus propter potentiam solus vult pro suo arbitrio imperare cæteris etiam

Συμβαι-
νει δὲ τοῦ-
το, ἂν
τῆς δημο-
κρατίας.

Ὁ δ' οὐτ-
τοιῆτες δὲ
μος, ἅτε
μόναρχος
ἔσται.

○

melioribus: nullisq; legibus patitur se astringi: sed semper hoc in ore habet, Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas. Ita imperitus populus nimiam potentiam nactus, solus vult omnibus alijs in civitate, licet prudentiores & meliores sint, imperare: nullisq; bonis rationibus patitur se à suo proposito abduci, atq; existimat sibi licere quasvis leges abrogare, atq; in earum locum nova decreta & νόμια introduce.

εὐλόγως δ'
ἀν δόξειεν
ἐπιμῶν.

Quæ est tertia causa?

Quia talis Democratia non digna est, ut vocetur Respublica, πολιτεία: sed potius est quedam colluvies & confusio hominum, quæ ἀναρχία, καὶ ὀχλοκρατία, à Platone nominatur. Etenim ubi nulla est legum auctoritas, ibi quoq; nulla est Respub. Nam ut Cicero pro Cluentio ait, Lex est fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, animus, consilium & sententia civitatis. Sine qua, ut idem in lib. 3. de Legibus scribit, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus consistere potest.

CAPVT V. & VI.

DE OLIGARCHIA.

Τὰ δὲ τῆς
ὀλιγαρχί-
ας.

Quot sunt differentia seu species Oligarchiæ?

Quatuor ab Aristotele enumerantur species seu differentia Oligarchiæ. Prima species est, quando

quando aditus ad magistratum patet ijs, qui non usq₃ adeò magnas, sed mediocres habent facultates: tantas tamen, ut possint citrà iacturam rei familiaris à privatis suis laboribus vacare, & Reipub. negotia iuxta legum præscriptum administrare. Circa hanc speciem observandum est, quòd plures possunt in hac Oligarchiæ specie capaces esse honorum in magistratu, ideò quia non adeò magnus census talibus præfinitus est. infra cap. 6. τὸ τῆς πρώτης ὀλιγαρχίας εἶδος εἶναι, ὅταν μὲν πλείους ἔχωσιν ὑσίαν, ἐλάττω δὲ, καὶ μὴ πολλὴν λίαν.

Quæ est altera species Oligarchiæ?

Altera species Oligarchiæ est, in qua maior census præfinitus est ijs, qui capaces talium honorum esse cupiunt: prætereà electio fit per ipsos Oligarchicos, & ex certis solùm familijs: atq₃ hi quoque iuxta legum præscriptum tenentur Rempub. administrare. Infra in 6. cap. de hac specie sic scribit: εἰάν δὲ δὴ ἐλάττω ᾖσιν οἱ τὰς ὑσίας ἔχοντες, ἢ οἱ τὸ πρῶτον, πλείω δὲ: τὸ τῆς δευτέρας ὀλιγαρχίας γίνεσθαι εἶδος.

Quæ est tertia species Oligarchiæ?

Tertia species Oligarchiæ est, in qua adhuc maior census, quàm in præcedentibus præfinitus est ijs, qui in magistratum cooptari cupiunt: & successio est hereditaria secundum legem, quæ iubet ut in

imperio filius succedat in locum patris. De hac specie in sequente cap. sic scribit: ἐὰν δὲ ὑπερίνωσι τῶν ἐλαττοῦντων ὄντων μείζονας οὐσίας ἔχειν, ἢ τρίτη ἐπίδοσις γίνεται τῆς ὀλιγαρχίας.

Quæ est quarta species Oligarchiæ?

Quarta species Oligarchiæ est, in qua aditus ad magistratum solum iis patet, qui maximas habent opes & divitias, qui etiam iure quodam hereditario succedunt, qui denique amicorum potentia plurimum valent in Repub. propter quas causas hi magis ex suo arbitrio, quam secundum leges cupiunt imperare. Ideoque hæc est deterrima Oligarchiæ species, quæ δυναστεία potius, quam πολιτεία est nominanda. De hac specie in sequente cap. sic scribit: ὅταν δὲ ἤδη πολὺ ὑπερίνωσι τῆς οὐσίας, καὶ τῆς πολυφιλίας, ἐγγὺς ἢ τοιαύτη δυναστεία μοναρχίας ὅσι: καὶ κύριοι γίνονται οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' οὐχ ὀνόματι: τὸ τέταρτον εἶδος τῆς ὀλιγαρχίας τῶν ὄσιν, ἀντιπρόθετον τῶν τελευταίων τῆς δημοκρατίας.

CAPVT VII.

DE ARISTOCRATIA.

Quæ sunt species seu differentiæ Aristocratiae?

Ἐπὶ δὲ εἰ-
σὶ δύο πο-
λιτείας
παρὰ δη-
μοκρατίαν
τε.

Quatuor: Quarum prima est, in qua solus virtutis habetur ratio in mandandis magistratibus: atque ideo imperium simpliciter est penes solos

solos viros bonos: qui quoniam virtutibus excellunt, dicuntur esse ἀριστοι, optimi. In sola hac forma Reipub. bonus civis qui est, is etiam est vir bonus: & vice versa. Et sic quoque eadem est virtus viri boni & civis boni: quemadmodum lib. 3. cap. 3. dictum fuit.

Quot modis igitur dicitur civis bonus?

Τὴν γὰρ ἐν
τῶν ἀρι-
στον ἀ-
πλῶς.

Duobus modis. Primum ἀπλῶς, simpliciter et absolute: qui est virtute praeditus, & simul est civis bonus. Deinde dicitur civis bonus καὶ ὑπόθεσιν, καὶ πρὸς τὴν πολιτείαν ex conditione, & respectu eius Reipub. in qua vivit, & legibus eius obtemperat.

Quæ est altera species Aristocratiae?

Οὐ μὲν,
ἀλλ' εἰσὶ
πινες αἱ
πρὸς τε.

In qua praeter virtutem aliqua divitiarum & nobilitatis habetur ratio, in eligendis magistratibus.

Quæ est tertia species Aristocratiae?

Ὅτι ἐν ᾧ
πολιτεία
βλέπει εἰς
τε.

In qua tria haec simul considerantur in conferendis publicis honoribus: nempe virtus, divitiæ, & populi libertas.

Quæ est quarta species Aristocratiae?

καὶ ἐν αἷς
εἰς τὰ δύο
μόνον.

In qua virtutis bonorum virorum, & libertatis populi habetur ratio in mandandis magistratibus.

Quomodo distinguuntur hæ species?

Prima species est pura Aristocratia: reliquæ tres species sunt mixtæ: quia non solam virtutem spectant, sed ei aliquid adiungunt, nempe divitias, nobilitatem, libertatem.

CAPVT VIII.

DE POLITIA SPECIALITER sic dicta.

Quid est Politia?

Ἔστι γὰρ ἡ
πολιτεία
ὡς ἀπλῶς
εἰπεῖν.

Politia communi nomine specialiter sic appellata, est commixtio quedam Oligarchiæ & Democratia. Aristoteles, ἔστι γὰρ ἡ πολιτεία, ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν, μίξις ὀλιγαρχίας, καὶ δημοκρατίας.

At sunt aliqui, qui talem commixtionem Oligarchiæ & Democratia, putant esse
ἀριστοκρατίαν?

Hoc inde fit, quia hæ due formæ interdum non æquabiliter miscentur, ita ut plures sint divites, quàm plebey in magistratu. Quia autem divites ut plurimum melius solent educari, quàm pauperes & plebey: ideò etiam vulgò creduntur meliores esse, & magis ingenui: qui non videntur facile posse pecunia corrumpi ad scelus aliquod perpetrandum. Hanc ob causam homines imperiti, quando vident imperium

imperium

imperium in civitate esse penes ditiores: existimant talem formam Reipub. esse Aristocratiam. Sic enim, sed male argumentantur. In Aristocratia imperium est penes viros bonos: sed in hac Reipub. imperium est penes divites: Ergo divites sunt viri boni: & per consequens, eorum imperium est Aristocraticum.

In quibus autem præcipuè differunt hæ tres formæ Reipub. Aristocratia, Oligarchia, & Democratia?

Δοκεῖ δὲ εἶναι τῶν ἀδυνάτων.

In duobus. Primùm ipsis legibus. Nam Aristocratia est εὐνομημένη, hoc est, bonis legibus administratur: quibus qui obtemperat, is non solum pro bono cive, sed etiam pro bono viro haberi potest. Oligarchia verò & Democratia, quia sunt vitiosæ formæ Reipublicarum: ideo earum leges quoq; non sunt simpliciter & absolutè bonæ: quibus qui obtemperat, etiam si possit bonus civis nominari, tamen non perinde semper pro bono viro potest haberi.

Quod est alterum discrimen?

Δοκεῖ δὲ ἀριστοκρατία μὴ εἶναι.

Deindè differunt etiam hæ tres formæ τῶ ὄρω, termino, quo veluti circumscribuntur & definiuntur: & quem sibi tanquam scopum habent propositum, ad quem & secundum quem præcipuè omnis earum gubernatio dirigitur.

Quot sunt tales ὄροι, id est, termini, secundum quos formæ Reipub. æstimantur, definiuntur, & distinguuntur?

Tres: ἡ ἀρετὴ, virtus: ὁ πλοῦτος, divitiæ seu opes: ἡ ἐλευθερία, libertas. Nam in Aristocratia honores & magistratus distribuuntur ratione virtutis. In Oligarchia præcipuè spectantur opes & divitiæ. In Democratia libertatis præcipua habetur ratio. Omnibus autem his formis hoc commune est, ut illud ratum firmumq; habeatur, quod maiori parti eorum, qui in magistratu sunt, visum fuerit.

An non est adhuc quartus terminus, qui circa hanc rem spectari solet, nempe Nobilitas?

Verum quidem hoc est: sed tamen Nobilitas non est talis terminus qui solus & per se possit peculiarem formam Reipub. constituere. Nam potest comprehendi vel sub virtute, quæ sola verè potest hominem nobilitare: vel sub divitijs: nam Nobilitas est antiquum patrimonium, & avita maiorum virtus. ἡ γὰρ εὐχύμεια ὅτιν ἀρχαῖον πλοῦτος, καὶ ἀρετὴ. Et infra in lib. 5. cap. 1. εὐχύμεια ὅτι πρεσβύτων ἀρετὴ, καὶ πλοῦτος.

Sed quare in plerisq; civitatibus videtur ferè ea solùm forma Reipub. usitata esse, quæ communi nomine πολιτεία appellatur?

Quia in eligendis magistratibus & conferendis hono-

hono-

honoribus, plerunq; ferè homines neglecta virtute
solum ad tria ista respicere solent: nempe ad nobili-
tatem, ad divitias, & ad libertatem: ex quorum
commixtione, ut antea dictum est, forma illa, quæ
communi nomine πολιτεία appellatur, constituitur.

CAPVT IX.

Quot modis commiscetur hæc duæ formæ, nem-
pe Oligarchia & Democratia, ut possint
constituere specialem πολιτείαν?

Εἰσὶ δὲ ὅ-
ροι τρεῖς
τῆς (συμ-
σεως ἢ μί-
ξεως.

Tribus modis. Primus modus est, Quando ex
utriusq; formæ legibus & institutis quedam
deliguntur, quæ videntur posse convenire ei Reipub.
quam nos cupimus constituere. Alter modus est
quando medium inter excessum & defectum utri-
usq; formæ Reipub. sumimus, & ad nostram Rem-
publicam accommodamus. Tertius modus est
quando partem aliquam ex lege Oligarchica, par-
tem verò aliquam ex lege Democratica sumimus,
& ex illis duabus partibus unam legem facimus,
nostraq; Reipub. accommodamus.

Ex quibus autem signis cognosci potest, quòd
illa commixtio sit rectè temperata?

Τὸ δὲ εἶναι
μὴ μίαν
δημοκρα-
τίαν.

Ex quatuor signis. Primum est, si mixtio ita
facta est, ut dubium sit, utrum forma illa Reipub.
sit Oligarchica, an verò Democratica. Alterum
signum est, si Respub. quæ ex ista mixtura est con-

stituta, tota simul considerata, representet utramq³ formam: secundum partes verò, neutra possit actu ab altera forma separari, ita ut ipsa forma Reipub. maneat salva. Tertium signum bonæ commixtionis est, si Respub. quæ inde effecta est, possit sine alienis & externis auxilijs conservari salva & incolumis. Quartum signum est, si ex illa commixtione eiusmodi forma Reipub. est effecta, quam ipsi cives maximè amant, neq³ meliorem aliquã requirunt.

CAPVT X.

DE TYRANNIDE.

Quæ forma gubernationis propriè dicitur
Tyrannis?

Tyrannis est eiusmodi monarchia, quæ Regno sive Regiæ gubernationi quasi è Diametro opponitur: atq³ ideò est omnium deterrima.

Quæ sunt propriæ notæ Tyrannidis?

Quatuor. Prima nota est, quòd Tyrannus nullis legibus vult esse subiectus, sed planè esse ἀνυπαίτουτος, id est, non obnoxius reddendis rationibus suæ gubernationis: proinde omnia pro sua libidine & voluntate administrat. Altera nota est, quòd solus vult imperare etiam ijs, qui vel ei sunt pares & æquales, vel ipso sunt longè meliores. Tertia nota est, quòd pro imperio suo omnia agit, & dirigit ad
privatum

privatum suum, non autem ad publicum & commune subditorum commodum. Quarta nota est, quod imperat invitis & nolentibus: ideoq; eius imperium est violentum.

NOTA. Ad Tyrannidem etiam possunt referri duae species Regni, de quibus in precedente libro cap. 10. dictum fuit, nempe ἡ βασιλευσὶς μοναρχία: & ἡ Αἰσυμνησία.

CAPVT XI.

In qua potissimum re consistit optimus Reipub. status?

IN mediocritate opum & facultatum: quando cives neq; nimium sunt divites, neq; etiam nimium pauperes: sed possident mediocres opes & divitias.

Quibus argumentis probat Aristoteles, eius civitatis optimum esse statum, qui constat ex mediocribus civibus?

Εἰ γὰρ κατὰ
λῶς ἐν
τοῖς ἡδέως
κατὰ.

Septem. Quorum primum sumitur à natura mediocritatis. Si mediocritas in omnibus rebus est optima: igitur etiam mediocritas opum & facultatum est optima: & per consequens etiam in mediocritate opum & facultatum consistit optimus civitatis status.

Quomodo

Quomodo declarat Aristoteles hoc argumentum?

Distributione. Sunt enim tres ordines civium in civitatibus & Rebuspub. Quidam enim sunt ἑὸς δὲ εὐποροί , valde divites: hi propter opum abundantiam ut plurimum sunt petulantes, iniuriosi, & contumeliosi adversus alios: item contumaces & contemptores legum & magistratum. Quidam verò sunt ἑὸς δὲ ἀποροί , valde pauperes: qui quoniam propter egestatē non possunt publicis muneribus obeundis in Repub. adhiberi, occupati nimirum proprijs suis laboribus in acquirendo victu: ideò invident etiam alijs istos honores, insidiantur divitum bonis, efficiuntur malitiosi & improbi, ita ut divites cogantur sibi ab illis metuere. Inter hos duos ordines civium est etiam tertius ordo eorum, qui mediocres habent facultates: per hos civitates ut plurimum gubernantur et conservantur: quemadmodum etiam Euripides ait: οἱ ἐν μέσῳ πολιταὶ τὰς πόλεις ἑὸς ζῶσι, κόσμον φύλαττοντες, ὃν πῦρ ἂν τάξῃ πόλις: οἱ δ' ὀλβιοί, καὶ οἱ ἀπανίζοντες βίῃ, ἀνωφελεῖς τ' εἰσὶ, καὶ δεινοί.

Quod est alterum argumentum, quo probatur, optimum civitatis statum ex mediocribus civibus constare?

Qui facilius possunt legibus regi, ijsq; obedire: hi ad constituendum optimum civitatis statum maxime

maximè sunt idonei. Sed qui mediocres habent facultates, magis possunt legibus regi, & ad obedientiam præstandam assuescieri: quàm ij qui sunt nimium divites vel pauperes, quemadmodum ex distributione civium, qua in præcedente argumento fuit allata, patet. Ergò mediocres cives ad optimum civitatis statum constituendum maximè sunt idonei.

Quod est tertium argumentum?

Ex equalibus & similibus optimè potest civitas & Respub. aliqua constitui. Quia æqualitas & similitudo aptissima sunt media ad amicitiam constituendam, colendam & conservandam. Nam φιλότης ὅσιν ἰσότης, secundum Pythagoreos: vetere proverbio dicitur, ut est apud Cicer. Pares cum paribus facilimè congregantur. Sed qui mediocres habent facultates, sunt inter se pares & similes. Ergò ex talibus facile optimus status civitatis potest constitui.

Βέλεται
δὲ γὰρ πό-
λις ἐξ ἰ-
σων.

Quod est quartum argumentum?

Inter quos nulla est invidia, nulla insidia, nulla cupiditas alieni: ex ijs optimè potest aliqua Respub. constitui. Sed inter mediocres ista locum non habent. Ergò ex mediocribus optima potest constitui civitas.

καὶ σῶζον-
ται οἱ ἐν
ταῖς πό-
λεσιν.

Hoc argumentum confirmatur ab autoritate & testimonio Phocylidis: qui ut tutius & securius
in civi-

in civi-

in civitate posset vivere, optabat se ex mediocrium numero esse: propterea quod tales multa haberent, ad vitam quietè degendam commoda: inquiens, μέσος δέλων ἐν πόλει εἶναι: πολλὰ γὰρ μέσσοισιν ἀρίστα.

Ὅτι δ' ἡ
μέση βελ-
τίση.

Quod est quintum argumentum?

Quæ civitates minus obnoxie sunt seditionibus, earum status optimè est constitutus. Sed civitates quæ constant ex mediocribus civibus, minus sunt obnoxie seditionibus. Ergò ex mediocribus civibus optimus civitatis status constat. Minor declaratur duplici comparatione, quarum una est magnarum & parvarum civitatum: altera Democratie & Oligarchie. Nam in magnis civitatibus & Democratijs ideò rariores sunt seditiones, quia in illis plures reperiuntur cives, qui mediocres habent facultates, quàm qui sunt nimium divites, aut nimium pauperes. In pravis verò civitatibus & in Oligarchijs ferè tantùm duo ordines hominum reperiuntur, quorum aliqui sunt valdè divites, aliqui autem valdè pauperes: undè fit, ut crebriores in illis sint seditiones & mutationes: ac propterea etiam minus durabiles.

Quod est sextum argumentum?

Quarum civitatum status est magis nature conveniens, is est optimus. Sed earum civitatum status, qui ex mediocribus civibus constat, nature magis est conveniens. Ergò civitatum status qui ex medio-

medio-

mediocribus civibus constat, est optimus. Minor probatur, quia natura in omnibus rebus amat mediocritatem: excessum autem & defectum, hoc est, extrema odit & averfatur.

Quod est septimum argumentum?

Qui ordo civium præstantissimis legumlatoribus placuit, ex illis civibus etiam optimus Reipub. status potest constitui. Sed ordo mediocriū civium præstantissimis legumlatoribus placuit: nempe Soloni, Lycurgo, Charonda, & quibusdam alijs. Ergo ex mediocribus civibus optimus Reipub. status potest constitui. Plato etiam in lib. 4. de Repub. præcipit, magistratibus diligenter providendum esse, ne ipsis inscijs in civitatem irrepant nimium opulenti aut inopes: quoniam per tales sæpè solent in civitatibus exoriri turba ac seditiones.

Obiectio. Si ea forma Reipub. est optima, quæ ex mediocribus civibus constat: quare igitur in tota Græcia vix ulla talis forma in civitatibus reperitur?

Huius rei Aristoteles adfert quatuor rationes. Prima est: quia mediocrium civium exiguus est numerus: aut si fortè contingit, ut eorum sint multi: tamen non sunt ita potentes, ut possint sibi vendicare imperium. Altera causa est, quia inter nimium divites & nimium pauperes sæpè oriuntur dissidia & contentiones de imperio: ita ut vel pauperes sua multitudine opprimant divites, & constituant

σημειῶν δὲ
δὲ νόμο
ζεῖν.

φανερὸν δὲ
ἐκ τούτων

stituant Oligarchiam. Tertia causa est, quia propè omnes civitates Græciæ erant subiectæ aut Atheniensibus, quibus placebat Democratia: aut Lacedæmonijs, qui Oligarchiam amabant: atq; ideo etiam civitates quæ illis erant subiectæ, eandem quoque formam Reipub. cogebantur amplecti. Quarta causa est perversa temporum illorum conditio, & depravata hominum consuetudo: per quam eò res deducta fuerat, ut nemo amplius pari iure cum alijs vivere vellet: sed cuperet aut imperare, aut si istud non posset consequi, imperium pati cogeretur.

Τῶν δ' ἄλλων πολιτειῶν.

Quomodo igitur bonitas alicuius Reipub. est æstimanda?

Ex mediocritate. Nam quò vicinior est aliqua Reipub. ei formæ, quæ ex mediocritate constat: eò etiam est melior: quò verò ab ea est remotior: eò est deterior.

Quare autem divites & qui mediocres habent facultates, magis idonei sunt ad bonam Reipub. formam constituendam, quàm ij, qui sunt nimium pauperes?

Quia tempore belli possunt non solum ex proprijs suis facultatibus arma sibi comparare, & se ad bellum gerendum instruere: ita ut civitas neq; arma illis cogatur suppeditare, neq; stipendia solvere: sed etiam possint civitati in sumptibus bellicis facien-
dis,

dis, & comparando com meatu alijsq; rebus neces-
sarijs auxilio & adiumento esse.

CAPVT XII.

Quæ forma Reipub. cuiq; civitati maximè
est conveniens?

Pro huius quæstionis declaratione Aristoteles
præmittit tria præcepta, quæ in constituenda
bona Reipub. quoq; sunt observanda.

Quod est primum præceptum?

Ad constituendam bonam Rempublicam quæ
diu possit in suo statu conservari, plurimum con-
fert, ut ea pars civium, quæ Reipub. salvam esse
cupit, sit potentior, quàm ea quæ presente statu &
forma Reipub. non est contenta.

Ἀπλείων δὴ
ᾧ ἔργον
ᾧ ἐὶ πα-
σῶν.

Quod est alterum præceptum?

In constituenda bona Reipub. in civitate duo
sunt consideranda: primum, quantitas, τὸ ποσὸν,
hoc est, multitudo seu numerus civium: & ma-
gnitudo seu amplitudo urbis. Deinde, Qualitas, τὸ
ποιόν, hoc est, qualibus bonis sint instructi, qui
eam inhabitant, videlicet qua virtute, doctrina,
nobilitate, libertate, quibus etiam opibus & divi-
tijs, quibus deniq; auxilijs & præsijs sint instru-
cti: quoniam in his omnibus felicitas civitatis cer-
nitur & consistit.

¶

Quod est tertium præceptum?

Omnia hæc quæ iam dicta sunt, sunt inter se cõparanda: ut per hanc comparationem cognoscatur, qui nam cives sint vel numero & potentia, vel virtute, nobilitate, libertate, divitijs, & alijs rebus superiores aut inferiores.

Ὅτι μὲν
ἐν ἰσότη-
τι.

Quæ igitur civitas maximè apta est ad
Democratiam?

In qua populus sua libertate magis superat divites & nobiles, quàm hi sua nobilitate & divitijs suis possint populum superare.

Ὅτι δὲ τὸ
τῶν ὑπό-
γων.

Quæ accommodata est ad Oligarchiam?

In qua nobiles & divites sua nobilitate & suis divitijs reliquos magis superant, quàm ipsi ab his superantur.

Quæ ad Aristocratiam?

In qua virorum bonorum virtus longè superat vel paucorum nobilitatem aut divitias, vel populi libertatem & multitudinem, quàm hi ab illis superantur.

Ὅτι δὲ τὸ
τῶν μέσων
ὑπερεί-
κει.

Quæ ad Politiam specialiter dictam?

In qua cives, qui mediocres habent facultates, numero superant reliquos duos ordines civium, vel utrosq; simul, vel alterutrum eorum. Tales autem ideò ad bonam Rempub. constituendam magis sunt idonei, quàm nimium pauperes: quia tempore belli possunt

possunt non solum de suis proprijs sumptibus arma
 emere: sed etiam pro patria militare: ne civitas
 cogatur ipsis de publica pecunia stipendia solvere:
 ut in sequente capite Aristoteles indicat.

CAPVT XIII.

Quot modis solet interdum nova forma Reipub.
 in civitatem aliquam introduci?

D Vobis precipue modis. Velenim hoc fit aper-
 te & recte: vel occulte, & clam, seu oblique.
 Aperte rursus fit duobus modis: vel per vim, in-
 vitis & repugnantibus civibus: veluti per hostes
 aut seditiosos homines, aut per Tyrannum aliquem
 post expugnatam urbem. Vel fit sine violentia, le-
 gitima quadam ratione: quando consentientibus
 civibus veteres leges abrogantur: & in earum lo-
 cum novae leges substituuntur, atque recipiuntur.
 Occulte vero & clam hoc solet fieri ignorantibus
 civibus, per eos qui dominatum affectantes solent
 callida quaedam consilia excogitare, per quae existi-
 mant se posse sibi paulatim aditum patefacere, ad
 stabiliendam suam potentiam, & occupandam
 Rempublicam.

Quomodo appellantur ab Aristotele in hoc loco
 ista fraudulenta consilia?

Σοφίσματα πολιτικά: à Cornelio Tacito nomi-

nantur Arcana Reipub. quia non ab omnibus animadvertuntur, aut intelliguntur: in re militari vocantur Stratagemata. Vulgò appellantur *περσάσεις*, id est, pretextus: item *τέχναι*, artes, doli, fraudes, &c.

Quotuplicia sunt illa?

Duplicia: Oligarchica, & Democratica.

Quæ vocantur Oligarchica?

Oligarchica sunt, quibus ij, qui Oligarchiam, hoc est, paucorum dominatum, in Reipub. aliqua affectant, uti solent ad decipiendum populum, ne ipsorum propositum animadvertatur, aut impediat.

Ἐστὶ δὲ ὅσα περσάσεις καὶ τέχναι.

Quæ sunt autem illa, circa quæ solent tales populum decipere?

Quinq̄. Primùm, circa conciones, seu publicos conventus, in quibus de Reipub. negocijs est deliberandum & statuendum: *περὶ τὰς ἐκκλησίας*. Deinde, circa magistratus, hoc est, electionem magistratum, quando novi magistratus sunt eligendi: *περὶ τὰς ἀρχάς*. Tertio, circa iudicia, quando exercenda sunt publica iudicia: *περὶ τὰ δικάσματα*. Quarto, circa arma, & armorum usum atq̄, translationem: *περὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὴν ὄπλησιν*. Quintò, circa alia publica civium exercitia: *περὶ γυμνασίαν*.

Quomo-

Quomodo autem populus circa ista ab
Oligarchicis decipitur?

Quando divites coguntur talibus conventibus interesse sub multa aliqua pecuniaria: pauperibus autem impunè licet adesse, vel non adesse. Hinc autem fit, ut divites sint frequentiores in eiusmodi publicis actibus: pauperes verò sint rariores. Hinc autem fit, ut propter absentiam pauperum & plebeiorum, divites maiorem habeant occasionem aliquid decernendi & statuendi, quod ad ipsorum auctoritatem & potentiam amplificandam videbitur pertinere.

Quæ vocantur Democratica Κοφισμα?

Democratica Κοφισμα dicuntur callida inventa, quibus populus in Democratia utitur, ad stabiliendam suam auctoritatem, & potentiam adversus nobiles & divites.

Quæ sunt talia?

Sunt prioribus contraria: quando nimirum civibus pauperibus, qui publicis concionibus, iudicijs, & alijs conventibus intersunt, aliquod premium datur pro compensatione eorum, quæ per illud tempus domi in laboribus suis neglexerunt. A divitibus verò propter absentiam nulla multa aut pœna exigitur. Hinc enim fit, ut divites talibus conventibus rarò intersint: eò quòd impunè illis licet

Εἰ δὲ ταῖς
δημοκρα-
τίας.

abesse. *Contra vero pauperes frequentiores veni-
ant propter spem præmij, quod inde accepturi sunt.
Atq; hac ratione pauperes propter divitum absen-
tiam facilius possunt decernere ea, quæ ad conser-
vandam Democratiam videbuntur pertinere.*

CAPVT XIII.

DE SENATV.

Ἐστὶ δὲ τῶν
τριῶν τοῦ-
των.

Quot sunt primariae partes, quæ Legumlatori &
Politico in constituenda Repub. præcipuè
sunt consideranda?

T Res: videlicet *Senatus seu Consilium, ἢ βουλῆ:
Magistratus, ἢ ἀρχὴ: & Iudicia, τὰ δικαστή-
ρια.*

Quare hæ tres partes dicuntur esse primariae
partes Reipublicæ?

*Propter duas causas. Primum, quia ex earum
bona vel mala constitutione existit vel salus, vel in-
teritus Reipub. Deinde, quia ex varia & diversa
constitutione, etiam varia & diversa existunt Re-
rumpub. formæ: quemadmodum supra cap. 1. &
3. ostensum est.*

Κύριον ἐστὶ
ἰσὶ τὸ βου-
λευόμενον.

Quid est SENATVS?

SENATVS est ea pars Reipub. cui commissa
est consultatio & deliberatio, de rebus communiter
ad Rempub. pertinentibus. ἢ βουλὴ ἕστι μέρος τῆς πολι-
τείας

λιτείας τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν. Atq̄, hæc pars dicitur esse τὸ κύριον τῆς πόλεως, id est, habere summam potestatem in civitate.

Quod est officium Senatus?

Officium Senatus est, βουλευέσθαι περὶ τῶν κοινῶν, consultare & deliberare de ijs, quæ communiter ad totam civitatem & Rempub. pertinent.

Quot sunt præcipua capita eorum, de quibus plerunq̄; consultatio suscipitur?

Εἰσι δὲ οἱ
τρόποι τῆ
πάντας
πλείους.

Aristoteles hoc loco octo enumerat: I. De bello & pace. II. De societatibus & fœderibus vel faciendis, vel rumpendis. III. De legibus ferendis aut abrogandis. IIII. De morte & supplicijs. V. De exilio. VI. De publicatione bonorum. VII. De creandis magistratibus. VIII. De cognoscendis & repetendis rationibus eorum quæ in magistratu gesta sunt.

NOTA. Aristoteles in lib. 1. Rhetor. enumerat quinq̄; capita, de quibus plerunq̄; solet suscipi consultatio in civitatibus. I. De vectigalibus & redditibus civitatis. II. De iure belli & pacis. III. De defensione regionis. IIII. De rebus importandis & exportandis. V. De ferendis legibus.

Quæ sunt circa consultationem consideranda?

Tria: primum persona, quæ adhibentur ad con-

sultationem. Deinde res sive negocia, quæ veniunt in consultationem. Tertio modi deliberandi.

Quæ in his notanda est varietas?

Etiã triplex: partim quoad personas, partim verò quo ad res ipsas, partim deniq̃, quo ad modũ deliberandi attinet. Nam quod ad personas deliberantium attinet: vel licet omnibus civibus publicis deliberationibus interesse, vel tantũ aliquibus. Deinde quod ad res ipsas attinet: vel licet de omnibus negotijs ad Rempub. pertinentibus deliberare, & statuere, vel tantũ de aliquibus.

Quot hinc Aristoteles colligit modos consultandi?

Tres. Unus est planè Democraticus, in quo omnibus civibus permissum est de Reipub. negotijs omnibus deliberare, & sententiam dicere. Alter modus est planè Oligarchicus, in quo tantũ paucis concessum est de Reipub. negotijs deliberare & statuere. Tertius modus est Aristocraticus & politicus: quando paucis aliquibus prudentioribus & melioribus permissum est, de Reipub. negotijs consultare & statuere. Singuli autem hi modi habent adhuc quasdam alias differentias: de quibus consulatur textus Aristotelicus.

Quot

Quot sunt præcepta circa electionem eorum, qui
deliberationibus interesse debent,
observanda?

Συμφορα
δὲ δημο-
κρατία τ.

Duplicia ea sunt: quædam Democratica: quæ-
dam Oligarchica.

Quæ vocas Democratica?

Quæ pertinent eò, partim ut populus frequenti-
us concionibus & publicis consultationibus inter-
sit: partim etiam ne divites & nobiles existiment
se ab illis deliberationibus esse exclusos.

Quot sunt talia?

Tria. Primum, Divitibus & nobilibus propter
absentiam pœna aliqua pecuniaria est constituen-
da: pauperibus verò presentibus præmium aliquod
proponendum.

Alterum, ex utroq; ordine tam divitum, quàm
pauperum æqualiter deligendi sunt, sive per sortem,
qui eiusmodi deliberationibus debent interesse. Sic
enim neutra pars poterit conqueri, se ab altera par-
te numero suffragiorum fuisse superatam.

Tertium, si multò plures sunt pauperes in civita-
te quàm divites, aut mediocres: tum vel non omni-
bus pauperibus presentibus præmium est dandum:
vel per sortem removendi sunt ij, qui excedunt nu-
merum divitum: ut utrinq; pares numero existant,
qui deliberaturi sunt.

Εἰ δὲ ταῖς
ὀλιγαρχίαις.

Quæ præcepta vocas Oligarchica?

Quæ Oligarchicis observanda sunt, ad præcavendam offensionem populi, ne existimet, se planè à deliberationibus publicis esse exclusum.

Quot sunt talia?

Quatuor. Primum, Oligarchici debent aut ex populo sibi aliquos adiungere tanquam socios consultationis: aut negotium prius diligenter inter se ipsos privatim examinare & deliberare, antequam de eo velint populi sententiam rogare.

Alterum, Oligarchici debent populo potestatem facere, ut vel approbet eorum decreta: aut si aliquid velit mutare, tamen nihil contrarium statuat.

Tertium, Oligarchici debent quidem potestatem populo facere, ut possit quidem deliberationibus interesse, & sententiam suam dicere: concludendi verò deliberationem, potestatem sibi reservare.

Quartum, in Oligarchia potestas quidem absolventi permittenda est populo: condemnandi verò potestas relinquenda est Magistratui.

CAPVT XV.

DE MAGISTRATIBVS.

Quid est MAGISTRATVS?

Εἰ δὲ ἔδῃ
τοῦτο διο-
ρίσιν ἰσ-
τορίαν.

Vocabulum MAGISTRATVS communiter

ter & latè acceptum, significat omnem eum, qui est cum potestate: ut ait *Vlpianus*. In hac significatio-
ne olim *Roma* magistratus nomine habebantur *Di-*
ctatores, *Consules*, *Censores*, *Aediles*, *Tribuni*
plebis, *Quaestores*, & alij similes. Cum verò pro-
priè accipitur, tunc dicitur esse is, qui habet ius con-
sultandi, iudicandi, & imperandi.

Quæ est præcipua & maximè propria nota
Magistratus?

Ius habere imperandi: nam per hanc notam dis-
cernitur *Magistratus* ab omnibus alijs præfecturis
& procurationibus, ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐπιμελειῶν, quæ
nullum habent imperium.

Recita verba *Aristotelis* de hac definitione?

Τὰς ἀρχὰς μάλιστα λεκτέον ταύτας, ὅσαι ἀποδέ-
δοται βυλεύσασθαι τε περὶ πινῶν, καὶ κρίναι, καὶ ἐπιτά-
ξαι: καὶ μάλιστα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτε-
ρόν ἐστιν.

Sunt ne plures magistratus in civitatibus?

Quoniam multa & varia sunt negotiorum ge-
nera in civitatibus, præsertim maioribus, admini-
stranda & perficienda: ideò etiam plures requi-
runtur ἐπιστάται, hoc est, præfecti, per quos illa gu-
bernantur: qui omnes communi nomine, ut antea
dictum est, possunt *Magistratus* appellari: ex quo
manifestum est plures in civitatibus esse magistra-
tus, eorumque species.

Quomodo

Quomodo differunt ἐπιμέλεια & ἀρχαί, hoc est,
procuraciones & magistratus?

Ἐπιμέλεια proprie dicuntur functiones & procuraciones negociorum in civitate: absq; publica auctoritate & potestate imperandi. Ἀρχαί autem, id est, Magistratus dicuntur functiones publicorum munerum, coniuncte cum auctoritate & potestate imperandi.

Εἰσὶ δὲ αἱ
μὲν πολι-
τικαὶ τῶν.

Quotuplices sunt ἐπιμέλεια?

Multiplices, pro publicorum negociorum varietate. Enumerantur autem hoc loco ab Aristotele quatuor earum precipuae differentiae. Quaedam enim sunt ἱερὰ καὶ, sacra: quae pertinent ad divini cultus administrationem: aliae sunt πολιτικαί, civiles, quae in civitatis negociis sunt occupatae: aliae πολεμικαί, quibus negocia bellica sunt commissa: aliae sunt οἰκονομικαί, domesticae, quae versantur circa rem familiarem: aliae sunt ὑπηρετικαί, ministræ: quae tantum ad exequenda publica mandata referuntur: ut sunt magistratum ministri.

Ποῖα δὲ
αἱ ἀρχαί,
& πόσα
ἀναγκαῖ-
α.

Dixisti plures esse in civitatibus magistratus: enumera aliquas eorum differentias & species?

Magistratus pro varietate circumstantiarum etiam variis modis distinguuntur. Nam primum ratione TEMPORIS, Magistratus alij dicuntur perpetui

perpetui, qui ad dies vita alicui conceduntur: alij sunt temporarij, qui solum ad certum aliquod tempus conceduntur: & ex his alij sunt πολυχρόνιοι, id est, longi temporis: qui prorogantur in duos, tres, aut plures annos: alij sunt ὀλιγοχρόνιοι, brevioris temporis, ut annui, menstrui, semestres, trimestres, &c. Huc referri quoq; potest haec distinctio: quod aliqui magistratus tantum semel alicui demandantur: alij vero saepius eidem conceduntur, sed per intervalla temporis.

Deinde ratione **LOCI**. Magistratus alij dicuntur **Urbanj**, & **Suburbani**, alij **Municipales**, alij **Provinciales**.

Ἀρχαίη
δὲ καὶ τοῦτο
μή.

Tertio, ratione **PERSONARVM**. Qui Magistratu funguntur, alij sunt optimates, ut in Aristocratiā: alij Nobiles & divites, ut in Oligarchia: alij plebey, ut in Democratia: alij ex omnibus ordinibus mixti, ut in Politia specialiter sic nominata.

Καὶ κατὰ
τοὺς πολι-
τείας δὲ.

Quarto, ratione **ELECTIONIS** trifariam distinguuntur: primum enim eliguntur vel ex omnibus civium ordinibus: vel ex certo aliquo ordine. Deinde eliguntur vel ab omnibus civium ordinibus: idq; vel simul, quando omnes sunt congregati, vel seorsim ἀνὰ μέρος, per singulas tribus. vel à certo aliquo ordine eorum, qui ad electionem sunt deputati. Tertio, eliguntur vel per sortem, & nominantur κληρωτοί: vel per suffragia, & appellantur

lantur

lantur ἀγέλοι. Ex istorum modorum combinatio-
ne, plures existunt modi electionis: quemadmodum
in sequenti capite ostenditur.

Quintò, ratione IMPERII & potestatis quam
habent: Magistratus alij habent plenum imperiũ
in tota civitate & in omnes cives: alij verò habent
circumscriptum & limitatum imperium in certa
aliqua parte civitatis, & in certos civium ordines:
ut sunt ἀγορανόμοι, id est, quibus cura fori & re-
rum venalium est commissa: item παιδονόμοι, id
est, quibus disciplina puerorum est commissa. Hinc
etiam extat Juriscons. distinctio: qui dicunt Ma-
gistratus alios esse Maiores, alios verò Minores.

Sextò, ratione FORMARVM Reipub. Ma-
gistratus alij sunt communes omnibus Rerumpub.
formis: ut Consulatus, Aedilitas, Questura: alij
conveniunt certis Rerumpub. formis: veluti Ari-
stocratia convenit Magistratus qui ex optimatibus
constat: Oligarchia, qui ex nobilibus & divitibus:
Democratia, qui ex plebeijs.

Septimò, ratione NECESSITATIS. Magi-
stratus alij dicuntur esse necessary ad constituen-
dam aliquam Rempub. sine quibus non potest civi-
lis societas in civitate diu salva consistere: ut sunt
prefecti iudiciorum, concionum, legum, publica
discipline. Alij dicuntur esse honorarij, & utiles
ad honestandam & condecorandam civitatem: ut
sunt

sunt praefecti gymnasiorum, spectaculorum, ludorum, & similium rerum: qui licet in parvis civitatibus non sint necessary, tamen magnis civitatibus adferunt ornamentum. De his infra lib. 6. cap. 8.

Postremò, etiam hæc distinctio notanda est: quòd Magistratus interdum singulis & certis quibusdam personis demandantur: & quemadmodum fieri solet in magnis civitatibus, in quibus propter frequentiam civium plures reperiuntur, qui ad eiusmodi publicorum negotiorum administrationem sunt idonei. Interdum verò plures magistratus uni, aut paucis aliquibus solent mandari: ut in parvis civitatibus, in quibus propter ὀλιγαριθμίαν, id est, paucitatem civium, etiam pauciores haberi possunt, qui ad eiusmodi publica officia administranda sunt idonei.

CAPVT XVI.

Quot sunt consideranda circa electionem magistratum?

TRia circa electionem & creationem magistratum sunt consideranda: quæ ab Aristotele hoc loco ὅροι τῆς ἐκλογικῆς τῶν ἀρχῶν nominantur. Primum, inquit, considerare oportet τίνας εἰ ἐκλογικῆς τὰς ἀρχάς: qui nam sint illi, penes quos

quos est potestas eligendorum magistratum. Deinde ἐκ τίνων, ex quibus, hoc est, ex quo ordine civium magistratus sint sumendi & eligendi. Tertiò τίνα τρόπον, qua ratione, seu πῶς, quo pacto sint eligendi vel creandi: utrum per sortem, an verò per suffragia, an per utrunq̃, partim per sortem, partim per suffragia.

Quomodo autem distinguuntur hi modi eligendi magistratum?

Secundum formas Rerumpub. Alij enim sunt Democratici, alij Oligarchici, alij Aristocratici, alij Politici.

Τῶν δὲ
αἱ μὲν δύο
καταστά-
σεις.

Enumera præcipuos modos singularum formarum?

Democratici modi sunt quatuor: quorum præcipuus est: quando electio est penes omnes: qui ex omnibus civibus eligunt magistratum, vel per sortem, vel per suffragia, vel utroq̃ modo.

Καὶ τὸ τι-
νάς ἐκ
πάντων.

Oligarchici etiam sunt quatuor: quorum præcipuus est: quando electio magistratum est solùm penes aliquos paucos nobiles vel divites: qui eligunt vel ex omnibus nobiles & divites, vel solùm ex aliquibus.

Τὸ δὲ ἕκ-
των αἱ-
ρεῖται πάν-
τας.

Aristocraticus modus est, in quo electio fit solùm ex paucis aliquibus, nempe viris bonis.

Τὸ δὲ μὴ
πάντας ἀ-
μα μὲν καὶ
δυσκόλως.

Politici modi etiam sunt quatuor: ex quibus præcipuus est: quando electio est solùm penes aliquos:

quos:

quos: qui eligunt vel ex omnibus ordinibus, vel solum ex aliquibus eos, qui sunt ceteris virtute superiores. Electionem quoque faciunt vel per sortem, vel per suffragia, vel utroque modo.

CAPVT XVII.

DE IVDICIIS.

Quid est IVDICIUM?

Iudicium, *Kρίσις*, est legitima & iusta alicuius civilis causae aut controversiae disceptatio, cognitio, & dijudicatio.

Quare Iudicia necessaria sunt in civitatibus?

Quia Iudicia sunt nervi legum & disciplina, sine quibus nulla esset legum vis atque authoritas: nullaque civitas aut Respub. diu salva et incolumis consistere posset.

Quot sunt hoc loco considerata?

Eadem illa tria, de quibus in precedente capite de Magistratum constitutione dictum est: primum scilicet personae, ex quibus iudicia & iudices constant: utrum ex omnibus civibus, an vero tantum ex aliquibus sint sumendi. Deinde, res ipsae quae veniunt in iudicium, & de quibus est iudicandum. Tertio, modus partim eligendi iudices, partim iudicandi de re proposita.

Q

Πρώτον ἐν
διαρετι-
διωπόσει.

Quot Aristoteles hoc loco species iudiciorum
enumerat?

Octo: ex quibus prima species est περὶ τῶν ἐυ-
δυνῶν, hoc est, de reddendis rationibus gesti magi-
stratus: quale etiam fuit iudicium repetundarum
apud Romanos.

Altera species iudiciorum est de Peculatu: ad-
versus eos, qui non bona fide publicam pecuniam
tractassent.

Tertia species est, de Crimine lesæ Maiestatis,
vel perduellionis.

Quarta species est περὶ ζημιώσεως, de pœnis &
multis.

Quinta species est de privatis contractibus, quo-
rum magna est summa.

Sexta species est de privatis contractibus, quo-
rum exigua est summa, veluti unius, duarum, aut
paulò plurium drachmarum.

Septima species de Cade seu Homicidio admissio,
cuius enumerat hoc loco quatuor species: una vo-
luntaria, ἐκ προνοίας: altera non voluntaria, ἀκρί-
σιος: veluti per imprudentiam aut coactionem.
Tertia, quæ iure defenditur. Quarta est de ea ca-
de, propter quam aliquis initiò quidem aufugit, &
ad tutiorem aliquem locum se contulit: postea verò
petit sibi concedi reditum ad se purgandum.

Octava species iudiciorum pertinet ad pere-
grinos:

grinos : cuius facit duas species : una est, in qua peregrini cum peregrinis litigant : altera, in qua peregrinus cum cive controversiam habet.

Quam præterea iudiciorum distinctionem Aristoteles in hoc capite adfert ?

Iudicia etiam distinguuntur secundum formas Rerum publicarum. Sunt enim quedam Democratica, quedam Oligarchica, quedam Aristocratica.

Quæ vocantur Democratica ?

Democratica iudicia sunt, in quibus ex omnibus civibus indices sunt delecti : quibus etiam licet de omnibus controversiis & causis iudicare.

Τούτων δὲ
τὰ μὲν
ὡς ἴσται

Quæ dicuntur Oligarchica ?

Oligarchica iudicia sunt, in quibus indices delecti sunt ex certo aliquo ordine civium. nempe nobilium aut divitum : qui etiam potestatem habent iudicandi de omnibus causis.

Quæ sunt Aristocratica ?

Aristocratica iudicia sunt, in quibus indices partim ex omnibus, partim ex quibusdam civibus : nempe ex viris bonis & prudentioribus sunt delecti.

Quot sunt modi eligendi Iudices ?

Duo : vel enim Iudices eliguntur per suffragia,

Ἀνάσκη δ'
ἢ τοὶ πάντες
ταὶ ὡς
πάντων

Q 2

& dicuntur αἰετοὶ: vel eliguntur per sortem, & vocantur κληρονομοὶ. Omnes autem rursus eliguntur vel promiscuè ex universo numero civium: vel separatim ex certo aliquo ordine civium: ut ex nobilibus, aut divitibus, aut optimatibus, aut plebeis.

Quod ad modum iudicandi attinet, quæ est notanda varietas?

Triples circa modum iudicandi est varietas. Primum enim, vel omnes iudicant, vel solum aliqui. Deinde, vel iudicant de omnibus controversiis, vel solum de aliquibus. Tertio, vel iudicant per suffragia, vel per sortem, vel utroque modo simul, partim per suffragia, partim per sortem.

Liber Quintus.

Quod est argumentum & quæ sunt partes Quinti Libri Politicorum Aristotelis?

Quemadmodum Aristoteles in precedentibus libris præcipuè exposuit, quibus rationibus & modis civitates atque Respublicæ sint constituendæ: ita in hoc libro incipit ostendere, quibus rationibus civitates & Respub. iam constitutæ possint vel in suo statu conservari, vel iterum mutari aut omnino corrumpi. Potest autem commodè hic liber distribui in quatuor partes. Nam in prima parte usque

usq̄ ad octavum caput, exponit causas tam generales & communes, quam speciales & proprias mutationis earum Rerumpub. quæ à pluribus quam ab uno administrantur: veluti sunt hæ tres formæ, *Democratia, Oligarchia, & Aristocratia.* Deinde in altera parte, hoc est, in octavo & nono capite, exponit causas conservationis trium prædictarum formarum. In tertia autem parte, hoc est, in decimo & undecimo cap. peculiariter agit de causis mutationis & conservationis *Monarchiarum*, hoc est, *Regni & Tyrannidis.* His quarto & postremo loco circa finem libri annectit refutationem Platonice opinionis de causis mutationis *Rerumpublicarum.*

CAPVT I.

Quid est ἡ μεταβολὴ τῆς πολιτείας?

Περὶ μὲν
ἐν τῷ ἄλλο
λων.

Mutatio, vel ut Cicero nominat, *Conversio* Reipub. est, quando forma administrationis alicuius Reipub. mutatur in aliam formam: veluti cum popularis gubernatio mutatur in Regiam gubernationem: aut hæc in Tyrannidem, aut in aliam aliquam formam.

Quæ sunt circa hanc μεταβολὴν consideranda?

Tria. Primum, quo pacto affecti sint ij, qui statum alicuius Reipub. mutare cupiunt. Deinde, cuius rei gratia, id est, propter quem finem hoc fa-

ciant. Tertio, quæ causæ eos plerunq̄ soleant impellere. De his Aristoteles in sequente capite sic scribit: δεῖ γὰρ λαβεῖν πῶς τε ἔχοντες πασιάζουσι: καὶ τίνων ἕνεκεν: καὶ τίτων τείτον τίνες ἀρχαὶ γίνονται τῶν πολιτικῶν ταραχῶν, καὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους πάσεων.

Quomodo igitur affecti sunt, qui statum Reipub. conantur mutare?

Omnes quidem videri volunt se amare & querere æqualitatem: inæqualitatem verò odisse & aversari. Sed quia non omnes æqualitatem illam eadem re atq̄ eodem modo æstimant: inde fit, ut ex illa opinionum diversitate inter ipsos cives exoriantur dissensiones: per quas Respub. facile perturbantur & mutantur.

Quæ est illa diversitas circa æqualitatis æstimationem?

Primum, Æqualitatem æstimant alij libertate, alij opibus & divitijs, alij nobilitate & generis splendore: alij honore, alij virtute, alij alijs rebus. Deinde reperiuntur aliqui, qui quoniam in una aliqua re ceteris sunt æquales aut superiores: volunt etiam in omnibus alijs rebus illis haberi æquales aut superiores. Exempli gratia, In Democratia quoniam omnes cives libertate sunt æquales, existimant quoq̄ æqualiter sibi deberi imperium in civitate, sive apti sint ad imperandum sive inepti.

pti.

pti. In Oligarchia, quia pauci aliqui divitijs aut nobilitate sunt ceteris superiores: existimant se etiam superiores esse ijs, qui virtute, doctrina, prudentia, aut alijs bonis excellent.

Quæ est igitur præcipua causa mutationis Rerumpublicarum?

Δεῖ δὲ
ἰσοτιαν
ὑπολα-
βεῖν τιῶ
ἀρχῶν.

Ea maximè ex eius contrario intelligi potest. Quemadmodum enim τὸ δίκαιον κατ' ἀναλογίαν ἴσον, id est, Ius quod consistit in æqualitate analogica est præcipua causa, conservans Respub. teste Aristotele lib. 5. Ethic. cap. 5. Ita etiam τὸ ἀνίσον κατὰ τὴν ἀναλογίαν, inæqualitas contra analogiam est præcipua causa, per quam Respublicæ mutantur & corrumpuntur.

Quot modis spectatur ista æqualitas?

Ὅλως γὰρ
τὸ ἴσον ζη-
τεῖται σα-
σιάζεσθαι.

Duobus modis: vel τῷ ἀριθμῷ καὶ ἀπλῶς, Numero & simpliciter, citra ullum respectum personarum, secundum proportionem Arithmeticam. vel τῷ λόγῳ, id est, certa aliqua ratione κατ' ἀξίαν secundum dignitatem & respectum personarum, aliarumque circumstantiarum, iuxta proportionem Geometricam: per quam, teste Platone, civitates maximè in tranquillo suo statu possunt conservari.

Q

Quando propter æqualitatem existunt in civitate
offensiones inter cives?

Quando ij, qui existimant se æquales esse ijs, qui-
bus plura tribuuntur, minus accipiunt.

Quando propter inæqualitatem offenduntur?

Quando ij, qui existimant se superiores & excel-
lentiores alijs esse: tamen non plus, sed vel æqualia
cum illis, vel etiam minus quàm illi accipiunt.

Διὸ καὶ αἱ
μεταβο-
λαὶ γίνονται.

Quot sunt modi τῆς μεταβολῆς τῶν πο-
λιτειῶν?

Aristoteles quatuor modos recenset, eosq; exem-
plis declarat. Primus modus est, quando tota for-
ma Reipub. mutatur in aliam vel ab illa diversam,
vel planè priori contrariam: ut cum ex Aristocra-
tia fit Oligarchia: aut ex Regia gubernatione fit
Tyrannicum imperium.

Quis est alter modus?

Quando forma quidem Reipub. non mutatur in
contrariam aut diversam: sed solùm aliqui à gu-
bernatione removentur: & alij seipsos in eorum lo-
cum intrudunt, & gubernationem ad se pertra-
hant.

Quis est tertius modus?

Quando eadem quidem Reipub. forma manet,
sed ea vel magis intenditur, vel remittitur: ut cum

ex mo-

ex moderata et tolerabili Oligarchia, fit Oligarchia magis intensa & dura, adeò ut propè accedat ad quandam potentiam Tyrannicam, aut herilem dominatum. Item cùm ex moderata Democratia, fit pessima Democratia, in qua est summa omnium licentia, & quedam quasi ἀναρχία.

Quis est quartus modus?

Quando solum pars aliqua Reipub. mutatur: ut quando magistratus aliquis aut mutatur, aut planè abrogatur, & novus introducitur. Quemadmodum apud Lacedemonios Theopompus, ut Cicero scribit, introduxit magistratum Ephororū: quem tamen postea Pausanias rex iterum sustulit, cum vidisset Ephoros sua potentia nimium abuti.

OBSERVATIO.

Aristoteles hos modos mutationis Rerumpub. infra in cap. 7. contrahit in duos: inquiens, Omnes Respub. mutantur vel in eam formam, ad quam magis inclinant, hoc est, in sibi vicinam formam: vel in contrariam.

Quæ formæ Rerumpub. magis aut minus sunt obnoxia mutationibus?

Aristocratie & Politie, specialiter sic appellatione, omnium minimè obnoxia sunt mutationibus: Democratie autem rariùs; Oligarchie verò frequentissimè.

Διὸ καὶ μέ-
λιστε ἔδο-
ξοντο αὐτῶν
λιτῶναι.

Q 5

Quare Aristocratia & Politia minus sunt obnoxia mutationibus?

Huius rei tres adferuntur ab Aristotele causa. Prima est, quia Aristocratia nituntur firmissimo fundamento, nempe bonorum virorum virtute: quæ ut ipsa per se & sua natura est firma & stabilis: ita etiam qui ea præditi sunt, in proposito suo honesto sunt firmi & stabiles, & abhorrent à mutationibus & seditionibus. Vnde vir bonus comparatur lapidi quadrato. Deinde, quia virorum bonorum exiguus est numerus, ideò non est eorum magna potentia: ac propterea non facile audent aliquid moliri adversus reliquos, qui numero & viribus longè illis sunt potentiores. Atq; hæc raritas bonorum virorum etiam est causa, quamobrem tam rare sint in civitatibus Aristocratia. Tertio, quia bona Politia ut plurimum constant ex civibus mediocribus: qui contenti sunt sua sorte, & minùs laborant apud ceteros cives invidia, neq; sunt ambitiosi: atque ideò supra lib. 4. cap. 11. dictum est, Eam civitatem, quæ constat ex mediocribus, esse ἀσασίασιν.

Διὸ δὲ τὰ
ἐξ ἀριδ-
μολιῶν ἰσὸς
ἐστὶν ἄρισ-
τον.

Quare Democratia etiam interdum, sed tamen rariùs quàm Oligarchia, solent mutari?

Huius rei Aristoteles tres adfert causas. Prima communiter pertinet ad utramq; formam, quia nimirum ab initio malè fuerunt constituta: & sic malo nituntur fundamento. Vnde non mirum est,
eas

eas non esse stables & diuturnas. Altera causa est, quia Democratia magis similis est bonæ Politia, quàm sit Oligarchia. Nam plures sunt in ea cives, qui mediocres habent facultates, & qui possunt capaces esse publicorum honorum & magistratum, quàm in Oligarchia: in qua paucis aditus patet ad publicos honores: & plerique sunt aut admodum divites, aut extremè pauperes. Tertia causa est, quia in Democratia cives inter se non nisi ob res leves solent dissidere: in ceteris verò rebus, quæ ad statum Reipub. pertinent, ut plurimum sunt concordēs: omnes enim æquè sunt libertatis amantes, quam etiã pari studio conantur tueri. Propter has causas etiam Aristoteles in precedente libro capite II. scripsit: αἰ δημοκρατία ἀσφαλέστερα τῶν ὀλιγαρχῶν εἰσι, καὶ πολυχρονιώτεροι.

Quare Oligarchiæ frequentes patiuntur mutationes?

Ἐν μέρει γὰρ
ταῖς ὀλιγαρχίαις.

Propter duas causas. Primum, quia ipsi Oligarchici ambitione laborantes, frequenter inter se dissident, & de Primatu in Reipub. contendunt. Deinde, quia populus agrè ferens illorum nimiam potentiam, qua elati efficiuntur petulantes, superbi, & iniuriosi adversus alios, sæpè solet se illis opponere: ac cogitat de modis & rationibus, quibus possit eorum iugum excutere, seq̃ iterum in libertatem vindicare.

CAPVT

Περὶ ὧν
δὲ σασιό-
ζουσι, ἐστὶ
κέρδος.

Dixisti de primo capite, nimirum quo animo affecti sint ij, qui mutationem in Repub. quærunt: Responde jam de altero, nempe de fine, cuius gratia istud facere soleant?

Duo sunt precipui fines, quos cupiunt consequi ij, qui conantur statum alicuius Reipub. mutare, & novam eius formam introducere. Unus nominatur τὸ κέρδος, ἢ πλεονεξία, questus & avaritia: quem finem sibi propositum habent homines avari, qui ex Reipub. administratione questum facere cupiunt, & magis privatam suam commodum, quam publicum bonum quærunt. Alter finis nominatur τιμὴ, honor, quem precipue spectant & quærunt homines ambitiosi, quod vitium nominatur Ambitio, φιλοτιμία & κενοδοξία, qua Iulium Cæsarem ita laborasse Cic. scribit: ut sæpius in ore habuerit illud Euripidis dictum: Regnandi cupiditate etiam ius violandum esse. Et in 8. lib. Epist. ad Atticum de Cæsare & Pomponio loquens, ait: ab utroq; quæsita est dominatio, non patrie salus aut dignitas. De utrisq; supra lib. 2. cap. 7. scribit: τὰ πλεῖστα τῶν ἀδικημάτων συμβαίνει χερδὸν τοῖς ἀνδρώποισι δὲ τὴν φιλοτιμίαν, καὶ φιλοχρηματίαν. Et Timon μὴ σὺνδρωπὸν apud Stobæum lib. 10. affirmat, τὴν ἀπλησίαν, καὶ φιλοδοξίαν εἶναι σοιχεῖα τῶν ἀνδρωπί-

ἀνθρωπίνων συμφορῶν, calamitatum humana-
rum.

Quæ sunt autem causæ quæ nonnunquam solent
aliquos impellere ad excitandas turbas &
seditiones in civitatibus, per quas
forma Reipub. potest
mutari?

Αἱ δὲ αἰ-
τίαι ἢ ἀγ-
χαί.

Aristoteles in hoc & sequentibus duobus capi-
tibus quindecim causas recenset, propter quas sub-
diti & cives interdum solent commoveri, ut exci-
tent turbas & seditiones, per quas status & forma
alicuius Reipub. interdum solet mutari, quas pro-
pterea nominat initia & fontes mutationum & se-
ditionum in civitatibus.

Quæ sunt circa has causas notandæ di-
stinctiones?

Tres distinctiones ab Aristotele indicantur:
quarum una est, quod causæ, propter quas formæ
Rerumpub. mutantur, aliæ possunt esse communes
omnibus Rerumpub. formis, aliæ verò sunt pecu-
liares.

Quæ est altera distinctio?

Formæ Rerumpub. mutantur, vel δὴ βίας καὶ
μὲν ἀσάσεως, per vim & seditionem: vel δὲ ἀπάτης
καὶ ἀνευ σάσεως, per dolum & fraudem absq; sedi-
tione.

Quæ est tertia distinctio?

Aristoteles infra cap. 7. etiam hanc ponit di-
stinctio-

stinctionem: quòd formæ Rerumpub. mutantur, vel propter intestina & domestica mala, veluti sunt civium & magistratum dissensiones, similitates & odia: vel propter externa mala, quæ vel ab hostibus aperte bello, vi, & armis inferuntur: vel à vicinis clam & occultè sunt metuenda.

CAPVT III.

Explica ordine quindecim illas causas quas antea enumerasti?

Prima causa quæ seditionis occasionem præbet, est ὕβρις, contumelia, h. e. contumeliosa civium & subditorum tractatio: quando nimirum ij, qui in magistratu sunt, privatos ciues incipiunt contumelijs afficere, existimantes quidvis sibi aduersus eos licere: hinc enim subditi irritantur, & cogitant de modis & rationibus, quibus nimiam licentiam & petulantiam suorum præfectorum coërceant: quemadmodum vulgò dicitur, ὕβρις τικτε τιμωρίαν, contumelia excitat homines ad vindictam. Et Theognis scribit, Iniuria & Magnesios perdidit & Colophonem.

Hinc Aristoteles annectit etiam alteram causam, nempe τὸ κέρδος seu τὴν πλεονεξίαν, questum seu auaritiam, quia una ex altera nascitur: quemadmodum Cicero in Rosciana oratione ait: ex auaritia erumpit audacia. Duplicem autem facit πλεονεξίαν:

ονεξίαν:

οὐξίαυ: unam, circa priuatas possessiones & facultates: alteram circa publica bona, quæ ad ciuitatem pertinent. De hac causa Cicero lib. 2. Offic. scribit: Nullum vitium tetrus est, quàm auaritia, præsertim in principibus & Rempub. gubernantibus: habere enim quæstui Rempub. non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. Itaq; quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nullâ aliâ re nisi auaritiâ esse perituram, id videtur non solum Lacedæmonijs, sed etiam omnibus opulentis populis prædixisse.

Tertia causa est, ἡ τιμὴ, ἡ φιλοτιμία, honor, seu ambitio, i. e. honorum cupiditas. De hac Cic. in 3. Offic. scribit: In liberis ciuitatibus regnandi cupiditate nihil tetrus, nihil fœdius excogitari potest. Et lib. 1. Offic. maxime adducuntur plerique, ut eos Iustitiæ capiat obliuio, cum in cupiditatem honorum inciderint. Hec autem duplici nomine causam præbet seditionibus: vel enim ciues offenduntur, quòd à publicis honoribus sunt exclusi: cum tamen existiment se equè dignos esse, quibus illi conferantur: vel inuident alijs istos honores, quos existimant eis indignos esse.

Quarta causa est ὑπεροχὴ, i. e. vnius aut aliquorum eminentia: quando tales existimant, se propter virtutis, aut aliarum rerum excellentiâ & præstantiam, qua cæteris omnibus ancecellunt, non debere

pari

pari iure, & iisdem legibus cum cæteris civibus vivere. Tales olim ad certum aliquod tempus è civitatibus relegabantur per Ostracismum: donec didicissent modestius de seipsis sentire. De qua relegatione supra lib. 3. cap. 9. dictum fuit.

Quinta causa est ὁ φόβος, metus. De quo Cic. lib. 1. Offic. sic scribit: atq; illæ quidem iniuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpè à metu proficiscuntur, cum is qui alteri nocere cogitat, timet, ne si id alteri fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Et in lib. 2. Offic. ad opes tuendas ac tenendas nihil alienius est quàm timeri: malus enim custos diuturnitatis est metus: atq; hoc confirmat auctoritate Ennij, qui dixit: quem metuunt, oderunt: quem quisq; odit, perijisse expetit. Et paulò post inquit: Nulla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Dupliciter autem metus causam seditionibus præbere solet. Primum enim homines improbi & qui sibi conscij sunt suorum malefactorum, cum metuunt ne propter peccata & malas actiones cogantur pœnas dare, aut rationes suorum factorum reddere: turbas movent & seditiones excitant, quibus impediuntur ordinaria iudicia, violantur leges, introducitur omnium scelerum licentia, totus deniq; Reipub. status perturbatur: atq; hac ratione existimant, se posse effugere suorum scelerum pœnas. Hoc metu, ait Cicero,
 Catilinam

Catilinam impulsam fuisse ad concitandam seditionem. Eodem metu impulsus Pericles, ne scilicet propter publicam pecuniam male collocatam, in iudicium capitis vocaretur, movet bellum Peloponnesiacum, quo Athenae perierunt. Deinde metus etiam dicitur causa seditionum, quando una pars sive unus ordo civium metuit, ne ab altera parte sive ordine opprimatur: veluti cum plebei metuunt, ne à nobilibus & divitibus aliqua iniuria afficiantur: itaq; malunt prævenire quàm præveniri, & eorum quos metuunt potentiam atq; vires frangere, ne possint illis nocere.

Sexta causa est, ἢ ἡ ἀλαφροῦνοια, contemptus, quando ea pars civium, quæ potentior est in civitate, contemnit eam partem, quæ minus potens est: tunc facile se adversus hanc solet erigere, ut omnino eam opprimat. quos enim contemnimus, ijs parere recusamus.

Septima causa est, ἢ ἡ ἀξιοῦσις καὶ τὸ ἀνάλογον, incrementum alicuius ordinis civium in civitate adeo magnum, ut proportionem non amplius respondeat cæteris civium ordinibus: neq; videatur amplius esse pars seu membrum civitatis. Unde Plato in lib. 4. de Reipub. hanc partium Reipub. compositionem comparat concentui & harmonie musicae, in qua si omnes voces æqualiter sunt temperate,

R

suavis existit melodia: ita etiam civitates & Respub. tum optimè se habent, si earum partes seu ordines proportionem quadam correspondent. Et Cic. in Catilinaria oratione ostendit, in concordia trium ordinum, Senatorij, Equestris & Plebey, salutem Reipub. Romanae positam esse: quam concordiam quia Gracchus, Catilina & alij perturbarunt: ideò etiam totum statum Reipub. mutarunt.

Octava causa est, n̄ egipta, hoc est, vilitas, sordida, atq; abiecta vita conditio eorum, quibus administratio civitatis est commissa: qui videntur magis dedecori quàm ornamento esse Reipub. ac propterea à subditis contemnuntur, tanquam non digni, quibus obedientia sit præstanda. Veluti cum in Magistratum eliguntur homines imperiti, fatui, nimium iuvenes, improbi, infamia aliqua laborantes: item homines avari, fœneratores, ebriosi, belluones, caupones, aut ex sordido quæstu vitium quærentes, ut salsamentarij, cerdones, lanij, mercenarij, baiuli, & alij similes, qui nullam auctoritatem aut dignitatem secum ad magistratum gerendum adferunt. De hac re etiam Patricij conqueruntur apud Livium, Decade prima, quòd etiam de infima plebe vilissimi quiq; irrepsent in magistratum. Hinc Imperator Augustus, ut est apud Suetonium, coactus est magistratum Romanum ab hac fece hominum purgare. Et Cicero in
Epistolis

Epistolis ad Atticum conqueritur, se millionibus in senatu assidere debere.

Nona causa est ἡ ὀλιγωρία, Negligentia seu incuria: quando summi magistratus mandantur ijs, quibus salus Reipublica non magna cura est: quiq; presentem statum eius non magnoperè amant, aut conservare & ad posteros transferre student: sed facile eum mutari patiuntur. Quod fieri solet, quando in magistratum cooptantur etiam homines exteri & peregrini, item qui etiam alieri quoque civitati aut principi aliquo iuramento sunt obstricti: item qui nullos habent liberos, quos sperent aliquando posse illis succedere: hi enim & similes non admodum curant, qualem post se relinquunt Rempub.

Decima causa vocatur ab Aristotele, τὸ μικρὸν Ἐπὶ ἀγαθῶν τὸ μικρὸν μετὰ χρόνον, id est, modicum seu parum. Quando parva initia futurae mutationis, aut non animadvertuntur, aut contemnuntur: ex quibus paulatim progressu temporis maximae mutationes, interdum etiam ruina & interitus Rerumpub. solent consequi. Unde etiam extat apud Graecos oraculum, μὴ παρορᾶν τὸ μικρὸν, non negligenda esse parva initia, quibus paulatim fiunt magne accessiones. Recte igitur Ovidius precipit, principijs esse obstendum.

Undecima causa est, ut Aristoteles inquit, ἡ

R 2

Ἰτασιασι-
κὸν δὲ κῆ
τὸ μὴ ὁμο-
φυλον.

τὸ μὴ ὁμόφυλον, hoc est, Quia cives non sunt eiusdem gentis & nationis: tunc enim sæpe fieri solet, ut una natio alteram cogitet vel opprimere, vel omninò urbe expellere. Nam diversarum nationum ut diversa est lingua, ita etiam diversi sunt mores & diversa studia: inter tales autem facile solent existere dissidia & offensiones, quæ causam possunt præbere mutationum in Republica: quod Aristoteles declarat octo exemplis.

Στασιαζου-
σι δὲ ἐνίοτε
αἱ πόλεις.

Duodecima causa est, ὅτι ὁ τόπος, καὶ ἡ χώρα τῆς πόλεως, locus vel situs urbis: cum videlicet à natura ita est comparatus, ut videatur non unam sed duas civitates constituere: veluti cum dividitur magno aliquo flumine aut colle: quæ locorum diremptio interdum præbet occasionem seditionibus: maximè cum utrinquè potentes familie habitant, quæ simultatibus & factionibus inter se laborant.

CAPVT IIII.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

Caput hoc est eiusdem cum precedente capite argumenti: commemorat enim tres postremas causas, propter quas interdum seditiones & mutationes Rerum pub. in civitatibus solent existere. Est ergò decima tertia causa ἡ στάσις τῶν προξένων, id est, dissensio eorum qui præcipui sunt in civitate. Nam principum seu magistratum dissensiones, totam

tam

tam civitatem involvunt ac perturbant: eamq; in
diversas factiones & partes distrahunt. De qua
re Cic. in lib. 3. de leg. sic scribit: *Magnum malum*
est, quando principes peccant, quia qualis mutatio
eorum in principibus extiterit, eadem quoq; so-
leat subsequi in populo: eò quòd permulti existunt
principum imitatores.

Quæ est differentia talium dissensionum?

Principum virorum in Repub. & civitate dis-
sensiones sunt duplices: quedam enim sunt civiles,
in quibus utraq; pars dissidentium, salutem & in-
columitatem Reipub. sibi propositam habet: sed dis-
simili via & ratione eam querit: quale dissidium
Cic. lib. 1. Offic. dicit fuisse inter Scipionem Affri-
cum & Q. Metellum: quam dissensionem dicit fuisse
sine acerbitate: tale etiam vult fuisse dissidium in-
ter Cæsarem & Pompeium, ut ex Ligariana oratio-
ne apparet, ubi extenuat utriusq; factum, quòd ar-
ma contra patriam sumpsissent. Quedam sunt ho-
stiles, in quibus altera pars de salute, altera verò de
interitu Reipub. digladiatur, qualis fuit inter Cice-
ronem & Antonium.

Quæ est decima quarta causa?

Decima quarta causa est, ἡ ἐξοχή καὶ εὐτυχία
πρὸς μέρος τῆς πόλεως: Excellentia & felix succes-
sio aliquorum civium, qui aut soli per se, aut com-

μεταβάλλ-
λασι δὲ καὶ
εἰς ὀλιγαρχίαν.

R 3

muniter simul cum alijs, magni alicuius beneficij Reipub. authores extiterunt: per quod potentia civitatis valde fuit aucta: propter quod beneficium nolunt equali amplius iure & loco cum ceteris civibus haberi: sed volunt ceteris esse superiores: propter quam superbiam & arrogantiam incurrunt in aliorum offensionem & invidiam. Qua ex re facile existere solent inter cives turba & seditiones. Declaratur hac causa etiam sex exemplis.

Quæ est postrema causa seditionum?

Κινῆται
ἢ αἰ πο-
διτεῖα.

Postrema causa seditionum est, quando inter aliquos cives aut ordines civium, qui potentia & viribus sunt pares, exoritur quedam emulatio: ita ut neuter velit alteri ultrò parere aut cedere: sed utriq; volunt simul imperare. Ex hac emulatione existit quedam contentio de dominatu & principatu, uter ordo debeat habere dominiũ & imperium in alterum: qua ex re facile oriuntur seditiones & factiones, dum utriq; sibi aliquos ex civibus adiungunt, quorũ opera & auxilio sperant se posse superiores & potentiores evadere, & sibi in alios imperium acquirere. Monet autem Aristoteles ista præcipuè accidere in ijs Rebuspub. in quibus hi duo ordines, nempe nobilium seu divitũ, & plebeiiorum seu tenuiorum magnam habent potentiam. Non autem facile movent seditionem, primũ i, qui longè viribus sunt inferiores, propter periculũ quod illis

illis à potentioribus imminet: deinde ij qui sunt mediocres, hoc est, neq̄, nimum divites vel pauperes, quia sunt plerunq̄, sua sorte contenti, & minus laborant invidia. Tertio ij, qui sunt viri boni, partim quia eorum sunt pauci: ita ut non facile possint aliquid moliri: partim verò quia virtus sua naturæ abhorret à motis & seditiõibus.

CAPVT V.

DE CONVERSIONE DEMOCRATIAE.

Exposuisti hætenus generatim communes causas, propter quas Respublicæ interdum commutantur: Expone jam etiam de singularum formarum conversionibus, & primùm de Democratijs, quibus præcipuè modis mutantur?

Tribus modis: vel in Oligarchiam, vel in Tyrannidem, vel in extremam & pessimã aliam Democratiam.

Quæ est præcipua causa, propter quam Democratia mutantur in Oligarchiam?

Præcipua causa est nimia licentia & improbitas tribunorum plebis, qui ἀναγῶσοι, quasi populû ductores dicebantur: Hi enim ut gratiam populû aucuparentur, & hac ratione auctoritatem & potentiam suam in Replib. auferent ac confirmarent

R 4

solebant ditiores & nobiliores cives apud plebem varijs calumnijs partim occultè & privatim, partim quoq; palam in suis concionibus & alijs congressibus falsò traducere, & reliquis civibus exosos reddere: quasi insidiarentur eorum libertati & felicitati. Hi ergò metuentes, ne aliquando ab imperita multitudine populi incanti opprimerentur, aut eorum bona proscriberentur: existimarunt satius esse praevenire, quam praeveniri: conspiratione inter se facta, dominatum atq; imperium civitatis ad se pertraxerunt: atq; hoc modo ex Democratijs Oligarchias in civitatibus constituerunt. Hanc causam declarat Aristoteles quinq; exemplis. De hac Tribunorū plebis licentia & improbitate apud Romanos etiam Cicero varijs in locis, praesertim in lib. 3. de Legibus, conqueritur, eamq; dicit esse pestiferam Rebuspub. quippè quae in seditione & ad seditionem sit nata: ideoq; laudat Syllam, quòd Tribunis suam potestatem ademerit.

Ἐπὶ δὲ τῶν
ἀρχαίων.

Quare Democratiae olim mutatae fuerunt
in Tyrannides?

Huius rei Aristoteles tres indicat causas. Primum enim hoc inde videtur factum esse: quia olim ij, qui erant δῆμοκράτορες, hoc est, tribuni plebis, simul quoq; erant στρατηγοί, duces belli, & praefecti militū, qui in praesidijs aiebantur. Hi ergò videntes se publica potentia munitos esse: facile potuerunt ceteris civibus

civibus esse superiores, & dominium affectare.

Deinde hoc etiam inde videtur accidisse: quod olim Demagogis mandabantur summi magistratus: eò quod populus illis multum confidebat: quasi essent communis libertatis, contra nobilium & divitum potentiam, propugnatores. Tertio, quia cum olim non ita magnæ essent civitates, & constarent maiore ex parte ex agricolis: factum est, ut dum agricole extra civitatem in agris suis colendis essent occupati, neq; multum solliciti, quo pacto civitatis negocia administrarentur: ut, inquam, unus aliquis ex Oligarchicis, totam gubernationem paulatim ad sese pertraheret. Cuius rei tria adfert exempla, unum Pisistrati, apud Athenienses: alterum Theagis, apud Megarenses: tertium Dionysij, apud Syracusanos.

Quando mutantur bonæ Democratia
in malas?

Μεταβάλλουσι δὲ τὴν εὐταξίαν παλαιάς.

Quando precipui magistratus solum creantur per suffragia imperite multitudinis, nulla habitatione virtutis, prudentie, nobilitatis, authoritatis, dignitatis, census, & similium rerum, quæ in idoneo magistratu solent requiri. Hac enim ratione facile per largitiones possunt homines ambitiosi suffragia emere, & sic ad istos honores pervenire.

R 5

DE CONVERSIONE
Oligarchiæ.

In quam formam Reipublicæ mutantur
Oligarchiæ?

Oligarchiæ, sicut & Democratia, mutantur aliquando in contrarias formas ipsis oppositas: cum ex Oligarchia, i. e. paucorum dominatu, fit Democratia, i. e. popularis gubernatio: aliquando verò mutantur in aliam eiusdem generis formam, sed deteriore: ut cum ex moderata Oligarchia, quæ certis legibus gubernatur, fit Oligarchia nimis intensa, quæ est sine legibus & similis Tyrannidi.

Quæ sunt autem causæ, propter quas Oligarchiæ interdum in alias formas mutantur?

Aristoteles plures causas recenset, propter quas interdum Oligarchiæ in alias formas mutantur. ex quibus duæ sunt præcipuæ: nempe ἡ ἀδικία, iniuria: & αἱ σήσεις, seditiones.

Quando propter iniurias mutantur Oligarchiæ?

Quando Oligarchici, i. e. pauci illi nobiles ac diuites, penes quos est imperium in civitate, iniuriosè & nimium duriter tractant subditos: tunc enim hi, facta conspiratione aduersus Oligarchicos, cogitant qua ratione possint à se iniustum illum dominatum,

Ἐνα μὲν,
εἰάν ἀδικῶ
σι τὸ πλῆ-
θος.

minatum, tanquam intollerabile iugum, excutere:
 & Oligarchiam illam in aliam formam Reipublicæ
 convertere.

Quando per seditiones mutantur Oligarchiæ?

Duobus modis. Primum, quando seditiones
 excitantur inter eos ipsos, penes quos est gubernatio
 & administratio Reipub. Deinde, quando ab alijs
 qui non sunt in magistratu, moventur seditiones
 aduersus ipsos Oligarchicos.

Quando excitantur seditiones inter ipsos
 Oligarchicos?

Γίνονται
 δι' αμετα-
 βολίας.

Profusio. Propter varias causas, ex quibus Ari-
 stoteles solum quatuor recenset, & exemplis illu-
 strat: quarum prima est: Quando aliqui ex Oligar-
 chicis, qui in magistratu sunt, suas opes & faculta-
 tes per profusionem et luxuriam inutiliter consum-
 pserunt, & hoc modo ad inopiam atque egestatem
 sunt redacti: postea verò convertunt se ad rapinas
 aliorum bonorum, tam privatorum civium, quam
 publici aerarij: quæ ut commodius possint invadere
 & diripere, excitant in civitate turbas atq; seditio-
 nes. Huius rei Aristoteles adfert quatuor exempla.

Altera causa est Ambitio: Quando aliqui
 ex Oligarchicis soli volunt summos & maiores
 magistratus administrare: reliquos verò infe-
 riores & minores magistratus concedunt suis
 collegis:

Καταλύ-
 ονται δὲ, &
 ὅτι ἐν τῇ.

collegis: qua ex re magnam sibi pariunt apud hos inuidiam.

Γίνυται
ἢ μεταβο-
λῆ.

Tertia causa est ἡ ἀπιστία, diffidentia: Quando ij, qui in magistratu sunt constituti, sibi mutuo diffidunt: ac propterea se quibusdam praesidijs munire incipiunt aduersus vim & potentiam eorum, quos habent suspectos.

Γίνονται
δὲ φόβους.

Quarta causa est, ἡ ὕβρις: Quando aliqui ex Oligarchicis propter contumeliam & ignominiam, qua se à suis collegis affectos esse existimant, cogitant quo pacto possint eos à magistratu iterum remouere: & hac ratione illatam contumeliam iterum vindicare.

Πολλὰ δὲ
καὶ ἀπὸ τῶ
αἴτιον.

Quando excitantur seditiones contra Oligarchicos, ab ijs, qui non sunt in magistratu:

Huius rei tres causa ab Aristotele indicantur. Prima causa est ἡ ἀδίκη, iniuria: de qua ab initio capitis dictum est.

Alterca causa est paucitas eorum, qui adhibentur ad gubernationem: quibus reliqui, qui aequè sunt vel nobiles, vel diuites, inuident istam dignitatem: existimantes se aequè dignos esse istis honoribus: ideoque blanditijs suis asciscunt sibi alios vel ex suo ordine, vel ex populo, quorum opera adiuti sperant se commotà seditione, facile posse paucos illos opprimere, & gubernationem ad se pertrahere.

Tertia

Tertia causa est, Quando ipsi Oligarchici, qui in magistratu sunt constituti, suum dominatum nimium intendunt, & subditis suis non secus dominari volunt, ac si essent eorum serui. Talem autem dominatum, quia subditi egrè ferunt: ideò modos & rationes excogitant, quibus possint eum excutere, & se iterùm in libertatem vindicare.

Habes ne præterea aliam aliquam causam, propter quam interdum Oligarchiæ mutantur?

Γίγνεται
δὲ καὶ ἀπὸ
συμπλώ-
ματος.

Aristoteles ait interdum etiam Oligarchias mutari in aliam Reipub. formam, ἐκ τῶ συμπτώματος, i. e. ex casu aliquo & euentu fortuito. Cuius rei tale adfert exemplum, veluti si initio constituta Reipub. adeò magnus fuit constitutus census is, qui in magistratum, & ad publicos honores erant admittendi: ut admodum pauci essent, qui tantas opes haberent: ideò etiam pauci erant, quibus gubernatio Reipublica poterat secundum leges committi. Si verò postea progressu temporis paulatim plures extiterunt, quorum opes & facultates fuerunt auctæ, ut possent illum censum legibus præfinitum habere: certè etiam tales efficiebantur capaces publicorum honorum: atq; hoc pacto paucorum dominatus transibat ad plures: & sic ex Oligarchia efficiebatur quedam quasi πολυαρχία seu πολιτεία.

πολιτεία, in qua gubernatio non est amplius penes paucos, sed penes plures.

CAPVT VII.

DE CONVERSIONE Aristocratiae.

Quæ sunt causæ propter quas Aristocratiae interdum mutantur?

Variae sunt causæ propter quas Aristocratiae mutantur: quarum tamen præcipue sunt tres: ἡ στάσις, seditio: ἡ τῶν δικαίων παρακλάσις, iustæ transgressio: ἡ ὀλιγωρία, incuria & negligentia.

Ἐν δὲ ταῖς
ἐπιστολαῖς
ἡ αἰτία.

Quomodo excitantur seditiones in Aristocratia?

Primum, Quando pauci admittuntur ad honores, & publicorum negotiorum administrationem: cum tamen plures in civitate reperiri possint, qui propter virtutem, auctoritatem, & industriam, æquè digni essent talibus honoribus atque officijs.

Deinde, Quando aliqui magni & præstantes viri in civitate, ab ijs qui in dignitatibus sunt constituti, non in eo honore, & existimatione habentur, quemadmodum ipsorum vitæ conditio videtur postulare.

Tertiò, Quando in civitate pauci reperiuntur
cives,

cives, qui mediocres habent facultates: sed plerique aut sunt supra modum divites, aut extreme pauperes: nam inter tales facile solent exoriri dissensiones & seditiones.

Quarto, Quando in civitate existit unus aliquis, qui maiore potentia & auctoritate est praeditus, quam ceteri: ac propterea cogitat, quo pacto solus possit imperium obtinere, & fieri monarcha: quemadmodum olim apud Lacedaemonios fecit quidam Dux Pausanias: & apud Romanos C. Julius Caesar.

Quæ est altera principalis causa mutationis Aristocratiae?

Αύουλα
ἢ μέλιτος
αἴτε πο-
λιτεῖα

Ἡ παραβίασις τῆς δικαίας, transgressio seu violatio iuris.

Quot modis fit digressio à Iure?

Duobus. Primus est, quando discessio seu digressio fit ab eo iure, quo Aristocratiæ tanquam principali fundamento nititur: nempe à virtute: quæ est, ut supra nominavit, ἡ εὐσ, terminus & scopus, qui in Aristocratiæ precipue spectandus est in eligendis magistratibus, in tribuendis honoribus, in ferendis legibus, in dicendis sententijs, & faciendis statutis.

Quis est alter modus τῆς παραβίασεως τῆς δικαίας?

Ἐπὶ ἀλλοῦ
τὸ ποῦτος
ταῖς.

Alter modus transgressionis & violationis iuris

in

in Aristocratiâ est, quando οἱ γνῶσιμοι, h. e. precipui in ciuitate incipiunt esse auari & rapaces in attrahendis tam publicis, quam priuatorum ciuium bonis: aut quando sua auctoritate & potentia, quam à Repub. habent, abutuntur contra subditos: existimantes sibi quiduis licere pro arbitrio agere. Nam propter hanc πλεονεξίαν & petulantiam incurrunt in reliquorum odium & inuidiam: unde facile seditiones & mutationes Rerum publicarum possunt existere.

O B S E R V A T I O.

Ista παρέρχασ τῆ δικαίᾳ est quoque communis causa mutationis omnium Rerum pub. Quae tunc precipue mutari solent, quando ab eorum iure, quo tanquam fundamento nituntur, fit digressio. Vt cum in Democratia violatur LIBERTAS populi: cum in Oligarchia non habetur ratio NOBILITATIS aut DIVITIARVM paucorum. Imò ipsæ quoq; πολιτεῖαι specialiter sic nominate, mutantur: quando isti termini, nempe Virtus, Nobilitas, Libertas, & Diuitia, non sunt equabiliter inter se mixti: sed vnius magis, quam ceterorum habetur ratio. Tunc enim in eam quoq; formam paulatim degenerant, ad quam magis inclinant. Unde quoq; accidit, vt interdum ex πολιτεία fiat aut Oligarchia, aut Democratia, aut alia aliqua forma Reipub.

Quæ

Quæ est tertia principalis causa mutationis
in Aristocratia?

Μέλις
δὲ τὰ μικρὰ
νεσιν.

Tertia causa mutationis Aristocratie nominatur ab Aristotele τὸ κατὰ μικρὸν, & supra in 3. cap. δὲ τὸ κατὰ μικρὸν, hoc est, quando parva initia mutationum contemnuntur & negliguntur, quasi non sint magni momenti: ea enim nisi tempestivè corrigantur & prohibeantur: possunt progressu temporis magnam secum adferre mutationem & ruinam Reipub.

CAPVT VIII.

Exposuisti hætenus de causis mutationis & interitus Rerumpublicarum, κατὰ τῆς μεταβολῆς, καὶ φθορᾶς τῶν πολιτειῶν. Expone deinceps quoque κατὰ τῆς σωτηρίας αὐτῶν, id est, de causis per quas possint Respub. in suo statu conservari?

DE hac re Aristoteles deinceps usque ad XII. varia tradit præcepta: ex quibus quedam generatim pertinent ad omnes Respub. ut in VIII. & IX. cap. quedam verò speciatim pertinent ad Tyrannidem, ut in X. cap. quedam denique ad Regiam gubernationem, ut in XI. cap.

Recita igitur communia præcepta φυλακτικῶς τῶν πολιτειῶν?

Primum Præceptum. Nemini concedendum est, ut possit quamcumque legem, etiam in minima re,

S

impunè violare. Ratio præcepti, Quia ista impunitas imminuit & labefactat authoritatem & vim non solum unius, verum etiam omnium reliquarum legum, apud imperitos homines.

II. Præceptum. Non temerè fidendum est ijs, qui callidis suis consilijs & adulationibus, conantur multitudinem imperitam decipere, & hac ratione aliquid in Repub. mutare.

Ἐάν τις ἐπι-
σταται μὲν
στῆναι

III. Præceptum. Ad conservandum statum Reipub. utile est, si ij qui in magistratu sunt constituti, rectè se gerunt, non solum erga subditos suos: verum etiam erga suos collegas: qui unà cum illis Rempub. administrant. Erga subditos quidem, si nulla eos afficiunt iniuria: si eos, quos vident esse honestatis amantes, nulla afficiunt ignominia: si interdum aliquos ex illis sibi asciscunt: quasi etiam eorum consilio & opera cupiant in aliquibus publicis negotijs uti: si eos non impediunt in ijs rebus & actionibus, ex quibus lucrum aliquod, aut victum quotidianum querere solent. Erga collegas verò suos, si δημοτικῶς, populariter, hoc est, humaniter se mutuò tractent: si æqualitatem inter se servant: quæ ad concordiam fovendam plurimum valet.

IIII. Præceptum. Non facile concedendum est, ut unus vel pauci aliqui summos magistratus diu administrant: sed ut eiusmodi magistratus plerun-

plerunque sint tantum semestres: sic enim fiet, ut tales magistratus paulatim possint pertingere ad omnes: & hac ratione præcidetur illis occasio, ne possint aliquam in Repub. affectare δὲ βασιλίαν ἢ τυραννίδα.

V. Præceptum. Ad tollendam securitatem ex animis civium, & excitandam maiorem vigilantiam & diligentiam in custodienda urbe: utile est civibus interdum metum aliquem incutere de periculo, quod Reipub. imminet, vel à vicinis, vel à remotis hostibus. ἵκοντο
δὲ αἱ πολιτείας.

VI. Præceptum. Legibus præcavenda sunt dissensiones & contentiones principum & magnorum virorum in Repub. ne exoriantur: aut si exorte fuerint, opera danda est ut citò componantur: ne ulterius serpent in reliquam multitudinem.

VII. Præceptum. Ad conservandam Reipub. presentem formam, utile est certis annis aut lustris, civium bona & facultates censere: ut inde cognosci possit, partim quatenus census singulorum civium, pro temporum ratione & conditione, sint vel augendi, vel minuendi: partim etiam qui nam ex civibus possint publicorum honorum in Repub. esse capaces, vel non capaces: partim denique, quantis & quibus opibus & facultatibus civitas instruetur sit ad bellicas necessitates. Πρὸς δὲ
τὴν ἀρχὴν
τῆς πόλεως.

VIII. Præceptum. Nemini in civitate statim magni honores & magistratus sunt concedendi: sed si quis illis dignus videatur, permittendum ei est, ut gradatim possit ad illos accedere. Ratio, Quia honores, iuxta vulgatum dictum, mutant mores, & animos hominum. Prætereà non omnes possunt secundam fortunam moderatè ferre: quæ plerunq̃ reddit homines insolentes, superbos, & aliorū contemptores. Quod si verò per errorem aut fortune favorem alicui contigit, ad summos honores, quibus tamen indignus est, pervenisse: tum ad præcavendas seditiones non subito de summo isto gradu est deiciendus: sed paulatim iterum istis honoribus est privandus. Quæ autem de honoribus dicta sunt, etiam de potentia sunt intelligenda: ne alicui nimis magna potentia in civitate concedatur: ne per eam possit affectare dominatum aut Tyrannidem.

Ἐπεὶ δὲ καὶ
ἀπὸ τῶν ἰ-
δίως ἑἴς.

IX. Præceptum. Ad conservandam Reipub. formam, utile quoq̃ est constituere aliquem magistratum, tanquam censorem, qui observet, utrum omnes qui in civitate sunt, vitam, mores, & actiones suas instituant, ut sint conformes et congruentes ad scopum & institutū eius Reipub. in qua vivunt.

X. Præceptum. Cùm tres sint præcipui ordines civium in civitatibus, unus Optimatū, alter Nobilium & Divitum, tertius Plebeiorum: cavendum est, ne unus aliquis ordo nimium crescat, & potens

potens evadat: adeò ut facile possit reliquos ordines opprimere.

XI. Præceptum. Cavendum est, ne ij qui Rempublicam administrant, & in magistratu sunt constituti, videantur inde velle quæstum facere, & privata sua commoda augere. Huius Præcepti etiam Cic. lib. 2. Offic. meminit, & rationem subijcit, in-
quiens: Habere enim quæstui Rempub. non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.

XII. Præceptum, pertinet peculiariter ad De- Δεῖ δὲ ἐν
mocratiã. In Democratia ij qui habent imperium, μὴ τῆς
nempè plebey & pauperes, cavere debent, ne divi- δημοκρα-
tiam.
tum & nobilium bona, vel palàm, vel occultè inva-
dant: aut alijs rationibus imminuere studeant, im-
ponendo illis publica opera, suis sumptibus efficien-
da: aut alijs oneribus eos gravando: cuiusmodi
fuerunt olim præfecturæ ludorum, spectaculorum,
epularum & similium rerum.

XIII. Præceptum, pertinet propriè ad Oligar-
chiã: est q̄ quadrupartitum. I. In Oligarchia et-
iam populo aliqui magistratus sunt concedendi, ex
quibus possit habere aliquod lucellum. II. Maior
pœna irroganda est diviti, si pauperem iniuriã affe-
cit, quàm pauperi, si divitem offendit. III. He-
reditates non ex testamento vel donatione: sed iure
agnationis vel cognationis, hoc est, ab intestato sunt
concedenda. IIII. Non concedendum est, ut quis-

quam plures hereditates præter unam adeat.

Συμφέροι
δὲ καὶ ἐν δὴ
μοκρατία.

XIIII. Præceptum, pertinet communiter ad
Democratiam & Oligarchiam. Qui non sunt ca-
paces publicorum honorum & magistratum: hi
ut equiore animo reliquorum imperium ferant, in
alijs rebus aut equali loco & iure cum illis haberi
debent: aut si necessariū videatur, prerogativa ali-
qua illis est concedenda: ij autem magistratus, penes
quos est summa Reipub. potestas, solum commit-
tendi sunt ijs, qui sunt principales Reipub. partes.

C A P V T IX.

XV. Præceptum. In eligendo summo magi-
stratu tria sunt spectanda. Primum, Amor erga
eam Reipub. formam, quæ ei est committenda. Hic
enim facit, ut omnes labores & molestia, quas Rei-
publicæ gratia sustinere debet, ei sint leviores. De-
inde, facultas gubernandi, & administrandi Rei-
publicæ negocia. Tertio, virtus & iustitia.

Sed quid faciendum est, si ista tria non omnia si-
mul in aliquo reperiuntur?

Respicendum est præcipuè ad illud, quod ei ma-
ximè necessarium est in eo magistratu: qui ei com-
mittendus est. Exempli gratia, In Imperatore belli
requiritur præcipuè scientia rei militaris: in Iudi-
ce, iusticia: in Senatore, prudentia: in Quæstore,
fidelitas: & sic de cæteris.

XVI.

XVI. Præceptum. Ad conservandum statum Reipub. diligentissima cura adhibenda est, ut leges sarta recte conserventur & custodiantur: siquidem in ijs salus & incolumitas totius civitatis, omniumque civium consistit. Sicut etiam Aristoteles in 1. lib. Rhetor. scribit, ἡ Κοινωνία τῆς πόλεως ἐν τοῖς νόμοις ἐστ. Et Cic. lib. 2. de leg. Ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam, & beatam, conditæ sunt leges.

Ἀπλῶς δὲ
ἴσα ἐν τοῖς
νόμοις.

XVII. Præceptum. Opera danda est, ne ordo civium in civitate sit potentior, & summam habeat auctoritatem, qui maximè est amans presentis status civitatis: & salvam cupit esse Rempub.

XVIII. Præceptum. Opera danda est, ut omnes leges, omniaque instituta Reipub. referantur ad mediocritatem: excessum autem fugiant. Nam omnes leges quæ mediocritatis terminos transgrediuntur, sunt vitiosæ: sicut etiam videre licet in vitiosis Rerumpub. formis.

ο- παρὰ πάν
τοι δὲ ταῦτα
τα δεῖ μὴ

XIX. Præceptum. Officium boni legumlatoris & politici est, non ignorare, μὴ ἀγνοεῖν, quæ leges & qualia instituta cuilibet formæ Reipub. conveniant: quia sunt quedam quæ videntur esse δημοκρατικά, καὶ ὀλιγαρχικά, id est, convenire Democratia aut Oligarchia: quæ tamen magis eas evertunt & corrumpunt. Cuiusmodi sunt ea, quibus Demagogi concitantur populi auctoritatem, & libertatem extolle-

re in Democratia. *Qualis etiam erat ista formula iuramenti Oligarchici: Erga populum male animatus ero, & quicquid mali poterò, aduersus eum excogitabo.*

XX. *Præceptum. Ad præcauendas seditiones in Democratia leges eò dirigenda sunt: ut etiam nobilium & diuitum ratio habita esse videatur. Consimiliter in Oligarchia non tantum nobilium & diuitum, verum etiam populi & pauperum habenda est ratio. Sic enim utraq; pars minus poterit offendi: & facilius feret alterius imperium.*

μέγιστον δὲ
πάλιν ἔ
εἰρημέναν.

XXI. *Præceptum. Ad conservationem Reipub. maximum momentum adfert: si futuri cives statim à primis annis accommodatè ad formam Reipub. instituuntur: ut nimirum doceantur, quo pacto debeant vitam, mores, & actiones suas accommodare legibus atq; institutis suæ Reipub. in qua vivunt.*

XXII. *Præceptum. Est autem τὰ αὐτῆς αἰῶνος πρὸς πολιτείαν nihil aliud, quam assuescieri ad ea, per quæ forma cuiusq; Reipub. possit rectè administrari: et quàm diutissimè in suo statu salva permanere.*

XXIII. *Præceptum. Vitiosa itaq; educatio est in Oligarchijs, quando solum pauperum liberi educantur ad labores: nobilium verò & diuitum liberi educantur in delicijs & voluptatibus. Consimiliter quoque vitiosa est educatio in Democratijs, quando*

quando cuilibet permittitur vivere pro arbitrio: quasi libertas nihil aliud sit, quam licentia vivendi pro arbitrio. Vivere autem secundum leges, sit quaedam servitus.

CAPVT X.

Quid deinceps agit Aristoteles?

DE Monarchijs, earumq; conservatione & interitu: περὶ τῆς σωτηρίας, καὶ φθορᾶς τῶν Μοναρχιῶν.

Quot sunt species Monarchiæ?

Duae: ἡ Βασιλεία, Regnum, sive Regia gubernatio: & ἡ Τυραννίς, Tyrannicum imperium. Ex quibus ἡ βασιλεία, similis est Aristocratia: τυραννίς verò similis est deterrimæ Oligarchiæ: de quibus omnibus supra dictum fuit.

Quomodo differunt hæ duæ species τῶν Μοναρχιῶν?

Ἰπάρχει
δὲ ἡ γένεσις
ἐν αὐτῷ

Varijs modis hæ duæ Monarchiæ differunt: ex quibus præcipuè hæc sex discrimina sunt notanda. Primum enim differunt, ut Aristoteles ait, τῆ γένεσι, ortu seu origine, h. e. causa efficiente, ut Dialectici loquuntur. Nam Reges olim vel per hereditariam successionem, vel per legitimam electionem à subditis volentibus in demortuorum locum substituebantur. Tyranni autem ut plurimum vel per vim aperte, vel per insidias & dolum clam, in vitis subditis, seipsos ad imperium intrudere solent.

§ §

Deinde differunt causa materiali. Nam Reges olim eligebantur ἐκ τῶν ἐπιεικῶν, ex viris bonis, propter ὑπεροχὴν, excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute gestarum: item generis seu familiae: item magni alicuius beneficij toti Reipub. præstiti. Tyranni autem ut plurimum extiterunt ἐκ τῶν ἀπονησῶν, ex malis & improbis hominibus: veluti in Democratia ex seditiosis Demagogis et Tribunis plebis: in Regno ex malis Regibus: qui discedentes à suorum antecessorum vestigijs, pro sua libidine conantur subditis imperare. Præterea Reges imperant volentibus à quibus ultrò fuerunt electi: Tyranni autem invitis, à quibus violenter fuerunt oppressi.

Tertiò differunt causa formali. Nam Reges imperant secundum leges: quibus etiam seipso subiectos esse fatentur. Tyranni pro libidine sua & proprio arbitrio, spretis legibus omnia administrant.

Quartò differunt causa finali. Reges omnia referunt ad publicam honestatem, & subditorum suorum utilitatem atq; salutem. Tyranni autem suam solùm quærunt voluptatem & utilitatem.

Quintò differunt τῆ φυλακῆ, custodia, h. e. causa conseruante. Nam Reges custodiuntur, & muniti sunt præsidio suorum subditorum: qui ex amore, quo Regem suum prosequuntur, ultrò parati sunt eum contra externam vim defendere. Tyranni autem externis utuntur præsidijs contra subdi-

tos,

tos, quibus non audent fidere, scientes se illis propter metum & crudelitatem esse exosos.

Sextò differunt adiunctis. Nam Regia gubernatio habet plurima in se commoda, quæ communiter & ad Regem & ad subditos pertinent. Tyrannicum autem imperium plurimis malis est refertum: quorum tamen maior pars in ipsos subditos redundat.

Quibus de causis etiam interdum Monarchiæ mutantur & intereunt?

Καθ' ἄπειρον
ἐν χρόνῳ
ἐλέχθη

Duplices sunt causæ, propter quas etiam Monarchiæ interdum in alias formas Rerum pub. mutantur: quædam enim communiter pertinent ad vtramq; speciem: quædam verò sunt peculiare & propriæ singularum specierum.

Quæ sunt communes causæ τῆς μεταβολῆς, καὶ φθορᾶς τῶν Μοναρχιῶν?

Quatuor. Prima est ἡ ἀδικία, iniustitia, seu iniuria. Ea autem infertur vel bonis & facultatibus subditorum: quando Monarchæ illa per fas & nefas ad se attrahere conantur. Vel infertur famæ & existimationi subditorum: quod fit vel verbis contumeliosis & iniuriosis: & nominatur ὕβρις, contumelia: vel plagis & verberibus ignominiosis: & vocatur αἰκία, vel αἰκισμὸς, id est, iniuriosa corporis pulsatio. Hanc primam causam Aristoteles pluribus exemplis declarat: quibus ostendit,

ostendit, propter eiusmodi iniurias & contumelias, multos Monarchas aut imperio suo spoliatos, aut omninò è medio sublato fuisse.

Ὁμοίως ἢ
κατὰ τὴν φύσιν
τοῦ

Quæ est altera causa?

Altera causa mutationis & everisionis Monarchiarum est ὁ φόβος, metus subditorum. Quemadmodum enim amor & benevolentia subditorum ergà suum magistratum, est firmissimum præsidium diuturni imperij: ita odium & metus subditorum ergà suum principem, est certissimum indicium interitus imperij. Nam ut Cic. lib. 2. Off. ait, Quem metuunt, oderunt: quem quisq; odit, perisse expetit. Et lib. 1. Off. Nulla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna.

αἱ δὲ ἀπὸ
κατὰ φύσιν
ὑποτιμω-

Quæ est tertia causa?

Tertia causa, propter quam Monarchiæ interdum fuerunt mutatae aut sublatae, est ἡ κατὰ φύσιν, contemptus: quando Monarchæ à suis subditis contemnuntur, vel propter generis ignobilitatem, vel animi aut corporis vitia, & deformitatem, vel vitæ turpitudinem, vel nimiam familiaritatem & facilitatem ergà suos subditos, vel impotentiam & debilitatem virium ad subditorum defensionem. Declaratur hæc causa quinque exemplis eorum Regum, qui propter talem contemptum suis regnis fuerunt exuti.

Quæ

Quæ est quarta causa?

Quarta causa est ἡ φιλοπρῆμία, ἢ φιλοδοξία, honoris, laudis, & gloriæ cupiditas: ad quam etiam consequitur ἡ φιλοκέρδεια, lucri cupiditas. Multi enim, ut ex interfectione alicuius Monarchæ vel magnum aliquod præmium reportarent: vel laudem & gloriam nomenq; celebre apud posteritatem consequerentur, impulsī fuerunt, ut Monarchas vel clam per insidias, vel aperte per vim è medio tollerent. Et certum est, honestum habitum fuisse, Tyrannum necare: ut est apud Cic. lib. 3. Off. Unde etiam olim Tyrannicidis magni honores, magnaque præmia fuerunt proposita.

Τῶν ἢ φιλοπρῆ-
μιᾶς, ἢ φιλοδοξί-
ας, ἐπιπλο-
υμένων.

Quæ sunt causæ speciales mutationis & interitus Tyrannici imperij?

Duæ sunt præcipuæ, Odium & Contemptus: quibus etiam Aristoteles tertiam causam adiicit, nempe Iram: sed eam ait consequi ex odio. Sunt autem Tyranni in odio, propterea quod volunt à subditis suis metui: ex metu autem existit odium eius, quem metuumus: quemadmodum paulò antè dictum fuit. Contemnitur verò à subditis, propter vitam luxuriosam & flagitiosam. Mutantur etiam interdum Tyrannides propter easdem causas, propter quas Oligarchiæ & vitiosæ Democratiæ solent mutari: quia magnam habent cum Tyrannide similitudinem.

Δύο δὲ ἐ-
στὶν αἰτί-
ων, δι' ἃς.

Quos

Quot modis Tyrannides mutantur, aut
evertuntur?

Duobus: unus est internus: quando inter eos ipsos, penes quos est Tyrannici imperij administratio, existit aliqua offensio & dissensio. Alter modus est externus: quando potentior aliquis Rex vel princeps, aut potens aliqua & vicina Respub. quæ Tyrannidi est inimica & contraria, se ei opponit, & eam delere conatur.

Βασιλεία
ἔ' ὑπὸ μὲρ
τῶν.

Quibus de causis mutantur vel evertuntur Regna?

Pro huius questionis declaratione, Aristoteles duas ponit distinctiones. Quarum prima hæc est: Regna sunt duplicia: quedam enim sunt Libera, quæ per liberam electionem & suffragia subditorum ad aliquem deferuntur. Quedam verò sunt hereditaria, quæ per successionem iure hereditario à regum filiis, & posteris occupantur.

Altera distinctio. Regnorum mutationes fiunt vel à causis internis, vel à causis externis.

Responde iam secundum has distinctiones ad
propositam quæstionem de Regnorum
mutatione?

Regna quæ per liberam electionem sunt constituta, non facile ab externis causis mutantur: quia rarò habent externos hostes, qui cupiant se illis opponere:

ponere: idq̄, propter tres causas. Primum, quia eorum Reges amantur & defenduntur à suis subditis, à quibus fuerunt ultrò electi. Deinde, quia moderate se gerunt in sua gubernatione, neque facile vicinis regibus, aut civitatibus occasionem præbent alicuius offensionis aut inimicitia. Tertio, quia operam dant, ut armis & alijs munitionibus ac pecunia ita sint instructi: ut necessario tempore facile possint bellum aliquod sustinere, & externis hostibus resistere.

Quæ sunt autem causæ internæ, propter quas interdum etiam talia regna mutantur?

Duæ præcipuè. Prima est, quando ij qui regni sunt participes, inter se dissident: Altera, quando ipsi reges incipiunt more Tyrannorum suis subditis imperare: & spretis legibus omnia pro libidine & propria voluntate administrare: tunc enim eorum Regnum convertitur in Tyrannidem.

Sed quibus de causis Regna hæreditaria solent interdum mutari aut interire?

Εν ἡ ταῦτ
κατὰ γε-
νος βασι-
λίας.

Præter duas causas modo allatas, etiam accedunt aliæ duæ causæ: propter quas eiusmodi Regna mutantur: quarum prima est ἡ καταφθόνησις, contemptus: quando videlicet Regum filij & posteri degenerant à virtute & moribus suorum maiorum: tunc subditi incipiunt eos contemnere, tanquam

tanquam inutiles ad imperium, & indignos quibus parere debeant. Altera causa est in vberis, contumelia: quando eiusmodi reges incipiunt more Tyrannorum ὑβρίζειν, i. e. contumeliosè suos subditos tractare: & tamen non habent tantam potentiam, qua possint absq̃ subditorum auxilio seipso iueri & defendere.

CAPVT XI.

Qua præcipuè re Regna conseruantur in suo statu?

Moderatione Regia potentia, hoc est, si Regi non nimia concedatur potentia, qua possit insolens & iniuriosus aduersus subditos esse. Sic enim minori laborabit apud eos invidia: cum videatur aliqua ex parte illis esse equalis. Declaratur hæc ratio duobus exemplis, nempe Regni Molossorum, & Regni Lacedæmoniorum, quæ diutissime durarunt: tantum propter eam causam, quod Regum potestas fuit certis legibus, tanquam limitibus circumscripta & definita.

Quomodo conseruantur Tyrannides?

Αἱ δὲ τυραννίδες
ἰσχυροῦνται.

Duo sunt modi, sibi quæ contrarij, per quos Tyrannides conseruantur. Vnus est Tyrannorum proprius, barbarus, durus, & crudelis: alter est aliquo modo humanior & mitior, sed Sophisticus & simulatus.

latus. Vel, ut Cicero lib. 3. de Legib. scribit: unus modus habet ius violentum & superbum: alter habet ius temperatum. Et ut Plutarchus in Lycurgo: unus modus habet ἐμίτῃσιν τυραννίδος, intensiorem, & quasi exasperationem Tyrannicæ dominationis: alter habet ἀντίσιν, relaxationem, & quandam moderationem Tyrannidis.

Quotuplicia tradit Aristoteles præcepta de primo modo?

Duplicia: quædam enim sunt admodum dura, & crudelitatis plena, vel ut Aristoteles vocat, τυραννικὰ, πειραστικὰ, καὶ βαρβάρων: quædam verò sunt mitiora & leniora, vel ut Aristoteles ait, βασιλικώτερα, magis Regia.

Quæ sunt præcepta primi generis?

Novem: Primum est, Viros virtute & rebus gestis præstantes deprimere: eorumq; authoritatem & dignitatem imminuere.

Alterum, Eos qui adeò generoso & magno animo præditi sunt, ut Tyrannis adulari aut servire neq; velint neq; possint, è medio tollere.

Tertium, Non concedere civibus συσίπια, id est, publica convivua, neq; collegia, tribus, aut sodalitates.

Quartum, Prohibere publicas Scholas, & re-

T

Etiam disciplinam, educationem, & institutionem iuventutis.

Quintum, Cavere ne permittatur aliquid civibus, undè possint vel altiore animum sumere, vel inter se conspirare.

Sextum, Prohibere ne cives inter se eiusmodi noticiam, amicitiam & familiaritatem contrahant, per quæ possint sibi mutuo fidere.

Septimum, Cives inter se ignotos reddere.

Octavum, Operam dare, ne peregrini in urbe lateant: sed semper versentur in urbis propatulo, & quasi pro foribus, & in conspectu Tyranni: ne possint clam civibus aliquid contra Tyrannum moliri.

Nonum, Assuefacere subditos, ut se servos esse cogitent: & propterea humiliter de seipsis sentiant.

Καὶ τὸ μὴ
λαυδᾶν
πειρᾶσθαι.

Quæ sunt præcepta mitiora & magis moderata, conservandæ Tyrannidis?

Aristoteles octo tradit præcepta, quæ aliquanto sunt humaniora, quàm illa priora. Quorum primum est, Habere exploratores & indices, seu delatores omnium eorum, quæ cives inter se loquuntur & agunt: ne possint clandestina consilia inire, aut aliquid machinari adversus Tyrannum.

Alterum, Discordias & lites serere inter cives: & sic cives cum civibus, nobiles cum plebeis, pauperes

pauperes cum divitibus, & hos cum illis committere: sic enim fiet, ut non facile possint inter se adversus Tyrannum conspirare.

Tertium, Subditorum opes & facultates paulatim imminuere & attenuare: ne ex opum affluentia vel reddantur insolentes & contumaces: vel habeant ocium & occasionem movendarum turbarum & seditionum. Duobus autem precipue modis solent Tyranni subditorum opes imminuere. Primum, quando illis iniunguntur publica opera proprijs suis sumptibus & laboribus perficienda. Deinde, quando illis imponuntur magna tributa et vectigalia, aut crebra exactiones & contributiones ad gerendum bellum, aut ad alias munitiones civitatis extruendas.

Quartum, πολεμοποιεῖν, id est, bella movere adversus vicinos, aut subditis metum belli incutere: ut subditi non habeant ocium moliendi res novas contra Tyrannum: sed potius ad eum tanquam ducem & protectorem confugiant.

Quintum, Non nimium amicis confidere. Quia Tyrannorum amici raro sunt viri boni: ideoque magis ab illis sibi cavere debent, quam apertis hostibus.

Sextum, Uxoribus suis & servis summam licentiam permittere: sic enim minus cogentur sibi ab illis metuere.

Septimum, Gaudere adulatoribus & hominibus improbis: quorum illi non facile volent Tyrannum offendere: siquidem omnia ad gratiam eius retinendam loquuntur & agunt: hi verò ad quævis facinora perpetranda sunt parati.

Octavum, Amicos sibi asciscere homines abiectos, humiles & peregrinos: à quibus non possit sibi aliquid mali metuere.

Ταῦτα καὶ
τὰ τοιαῦ-
τα, τυραν-
νικὰ.

Quorum videntur ista præcepta spectare?

Aristoteles ait ista præcepta præcipuè accommodata esse ad tres scopos, vel ut ipse nominat, ὄργης, fines, quos Tyranni in sua gubernatione sibi ut plurimum habent propositos: nempe subditos suos efficere primùm μικροψύχους, pusillanimes, abiectos, & humiliter de seipsis sentientes: deinde ἀπισθύντας ἀλλήλοις, sibi mutuò dissidentes & suspectos: tertio ἀδυναμῆντας, viribus & potentia destitutos. Sic enim propter μικροψυχίαν non volent, neque propter ἀπιστίαν καὶ ἀδυναμίαν facile audebunt aut poterunt aliquid contra Tyrannum moliri aut suscipere.

Ὁ δ' ἔτε-
ρος χεθὼν
ἐξ ἐναν-
τίας.

Quæ sunt præcepta de altero modo conservandæ Tyrannidis: qui non est ita barbarus & crudelis: sed humanior & mitior?

Aristoteles de hoc altero modo primùm tradit hoc generale præceptum: Tyrannus ita debet suum

suum imperium moderari, ut videatur esse βασιλικώτερον, id est, magis Regium, quam Tyrannicum: quam ad rem utile est, si possit καλῶς ὑποκείναι τὸ βασιλικόν, id est, aptè imitari & simulare regium ergà subditos animum & imperium. Deinde tradit quaedam specialia præcepta, quo pacto aptè possit imitari & simulare Regiam gubernationem: quæ præcepta sunt quasi ὑποκρίματα, item σοφίσματα τυραννικά: per quæ Tyranni suos subditos solent fascinare & decipere.

Quæ sunt ista præcepta?

Primum est, Tyrannis debet videri τῶν κοινῶν φροντίζειν, id est, curam habere communium rerum, quæ ad omnium subditorum utilitatem & salutem pertinent. Hoc autem duobus modis consequetur. Primo, si publicas pecunias, quas ex laboribus & sudoribus subditorum colligit: non impendit in luxum & turpes voluptates. Deinde, si simulat se paratum esse de illis rationes reddere, in quos usus impenderit. Sic enim & minus erit suspectus ob avaritiam & luxuriam: & magis videbitur esse bonus Oeconomus, & fidelis dispensator publicarum pecuniarum.

Πρῶτον
ἐπὶ δοκεῖν
φροντίζειν.

Alterum Præceptum. Tyrannus debet præ se ferre aliquam σεμνότητα, gravitatem cum humanitate, & morum facilitate coniunctam.

Tertium Præceptum. Tyrannus cavere debet,

T 3

ne vel ipse, vel eius domestici & ministri aliquem ex subditis contumelia aut iniuria aliqua afficiant.

Περὶ τε
ταῖς ἀπο-
λαύσεσι.

Quartum. Circa voluptates corporis ita se gerere debet, ut videatur eas non admodum expetere aut magnifacere: sed magis amare temperantiam & sobrietatem. Aut si cupiat illis interdum indulgere, ut illud clam & occultè faciat: ne veniat in contemptum, aut per insidias opprimatur.

Τυραντίου
τε ποιη-
τέον.

Quintum. Ne videatur revera Tyrannus esse, sed potius quidam ἐπίτροπος, curator, & bonus tutor civitatis: debet civitatem publicis edificijs exornare: veluti sunt theatra, Basilica, templa, porticus, thermæ, & his similia alia, quæ non solum civitati splendorem, verum etiam civibus utilitatem aliquam, & oblectationem adferre possunt.

Sextum. Vt Tyrannus in maiore existimatione & auctoritate sit apud subditos suos, debet simulare pietatem, & religionem sibi maximè curæ esse. Ista autem hypocrisis debet esse ἀνδρῶν ἀβελτηγίας, absq̄ stultitia, id est, callida & astuta, ne subditi possint animadvertere eius simulationem: alioquin enim magis ipsum contemnent.

Τῶν τε ἀ-
γαθῶν πε-
ρὶ τι γινώ-
μενός.

Septimum. Viris bonis, & benè de Repub. meritis, ipse in propria sua persona debet præmia, & quidem maiora, quàm ab alijs liberis civitatibus fieri solet, distribuere: improbis autem & facinorosis

rosis per alios magistratus, & per legitima iudicia pœnas infligere. Sic enim & benevolentiam apud subditos sibi conciliabit: & eorum odia declinabit.

Octavum præceptum communiter pertinet ad Κοινή δὲ
Tyrannum et Regem. Non debet unum aliquem so- Φυλακὴ
lùm ex suis aulicis, præsertim si sit animo elato præ- πίσις μου
ditus, subito ad magnos honores & potentiam eve- ἀρχίας.
here: sed plures simul coniungere: ut hac ratione se mutuò possint observare, & ex quadam emulatio-
ne impedire, si fortè unus aliquis sua potentia velit abuti adversus ceteros.

Nonum. Nemini debet subito omnem potentiam, auctoritatem, & dignitatem auferre: sed illud facere ἐκ ἀεὶ ὀλιγωρίας, id est, sensim & paulatim: ut vix animadvertatur.

Decimum Præceptum. Cavere sibi debet à contumeliosa tractatione, aut pulsatione seu verberatione suorum subditorum in infligendis pœnis: ne videantur magis ex quadam malevolentia & petulantia, quàm ex paterno animo ad emendationem eorum qui puniuntur, esse profecta.

Undecimum. Tyrannus maximè sibi cavere debet ab alijs, qui videntur mortem contemnere, & vitam suam non magnifacere. Tales enim ad quodvis facinus perpetrandum sunt paratissimi.

Ἐπεὶ δὲ
αἱ πόλεις
ἐκ δύο.

Diodecimum. Tyrannus debet operam dare, ut utrosq; cives tam divites, quam pauperes habeat, sibi ac imperio suo faventes: in primis verò eos, quos videt esse potentiores.

Quod est summum caput omnium hactenus enumeratorum præceptorum?

Tyrannus hoc unum studere debet, ut videatur benignitate potius & clementia, quam severitate & crudelitate suum imperium administrare & stabilire.

Περὶ ἐργῶν
δὲ τὸ λέ-
γειν ἡγε-
γέμενον.

Quo pacto autem istud efficiet?

I. Si ita imperium suum administrat, ut non videatur esse verus Tyrannus, sed potius Rex, & bonus paterfamiliâs suorum subditorum. II. Si non videatur esse Κοιτεγισὺς, id est, omnia in privatum suum commodum convertere: sed potius ἐπίτροπος, curator & tutor communium bonorum. III. Si videatur in omnibus actionibus studiosus esse mediocritatis. fugere autem ea quæ modum excedunt. IIII. Si viros claros & nobiles sibi conciliet comitate & benevolentia: plebeios verò blanditijs & muneribus. V. Si mores & actiones suas, totamq; vitam ita instituet, ut quantum ad virtutem attinet, videatur esse vel revera bonus: vel saltem semibonus, & non omninò malus & improbus.

Quid

Quidindè utilitatis habebit?

Multum sanè. Primum enim Imperium eius videbitur esse honestius, & quodammodo Regium: ideoq; magis expetendum. Deinde non erit in odio apud suos subditos: sed magis ab illis amabitur. Tertio, non cogetur vivere in perpetuo metu: quia eius salutem & vitam subditi potius, quam interitum expetent. Deniq; Imperium eius futurum est magis diuturnum.

Sunt ne Tyrannides diuturnæ?

Minimè: & ratio est, quia nullum violentum potest esse diuturnum: at qui Tyrannides vel initio fuerunt per vim constituta, vel postea per vim administrantur & retinentur. Quia autem Tyranni violenter imperant: ideo etiam plerunq; violenta morte pereunt: quemadmodum Iuvenalis Sat. 10. scribit: Ad generum Cereris sine cade & sanguine pauci Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni. Imò Tyrannus senex olim habitus fuit pro miraculo: sicut apparet ex responso Thaletis Philosophi, qui cum ex longa profectioe domum reversus, interrogatus esset, quid maximè in illa peregrinatione observasset, quod ei mirum videretur: respondit, Se vidisse in quadam regione Tyrannum senem. In quam sententiam etiam Seneca in Hercule ait: Ra-

Καίτοι
πασῶν ὀ-
λιγοχρο-
νιώτερον.

T 5

rum est videre Tyrannum, qui sit felix, idémque senex.

Quomodo Aristoteles probat Tyrannides non esse diuturnas?

Aristoteles hoc declarat narratione historica quatuor exemplorum earum Tyrannidum, quæ illis temporibus maximè fuerunt celebres: quarum nulla ultra centum annos duravit. Primum exemplum est de Tyrannide Orthagoræ Sicyony, qui unà cum suis filiis & posteris centum annos regnavit. Alterum exemplum est de Tyrannide Cypseli Corinthiorum Tyranni: qui unà cum suis filiis annos septuaginta tres, & sex menses Corinthum tenuerunt. Tertium est de Pisistrato, qui unà cum filiis suis, annos tantum 35. Athenis dominati sunt. Quartum est de Tyrannide Syracusana: quæ sub tribus Tyrannis Hierone, Gelone, & Thrasylulo solum annos octodecim duravit.

CAPVT XII.

Εν δὲ τῇ
88 Πλά-
τωνος πο-
λιτεία.

Exposuisti hæctenus satis multa de causis mutationis & interitus Rerumpub. ex Aristotele: sed cupio etiam ex te audire, quæ fuerit Platonis de hac quæstione opinio?

Plato in octavo libro de Repub. causam mutationis & interitus Regnorum & Rerumpublicarum transfert primum in naturam & conditionem

nem

nem omnium eorum, quæ in hoc mundo lunari glo-
bo sunt subiecta: quæ omnia talia sunt, ut nihil eo-
rum sit firmum, stabile, & perpetuum. Sic e-
nim inquit, παντὶ γυνομένῳ φθορὰ ἐστὶ: καὶ ἐδὲν αὐ-
τῶν τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται. De-
inde transfert causam in eos ipsos, penes quos est
imperium, & qui in magistratu sunt constituti,
quando hi ipsi inter se dissident: inquiens, ὅταν οἱ ἐ-
πίκρουσι, καὶ οἱ τὰς ἀρχὰς ἔχοντες πρὸς ἀλλήλους τε,
καὶ πρὸς ἑαυτοὺς συσιάζωσι. Tertio etiam cau-
sam transfert in degenerationem & pravitatem
hominum: qui propter inæqualia coniugia ex se
procreant liberos & posteros plerumque deteriores:
qui quoniam nulla disciplina, nullisq; legibus pati-
untur se coerceri & regi: perturbant harmoniam
& tranquillitatem Reipub. unde tandem consequi-
tur earum mutatio & everfio.

Quando autem solent istæ mutationes in
Rebuspublicis plerumque
accidere?

Plato existimat istud solere fieri post conver-
sionem & revolutionem quorundam orbium cœle-
stium, factam certo annorum numero, quem nu-
merum ipse τέλειον perfectum nominat: quem post-
quam res attigerunt, incipiunt rursus quodam-
modo retrogradi, & paulatim in deterius mu-
tari.

Scd

Sed quis est iste perfectus & solidus numerus ?

Plato hunc annorum numerum, & istam rerum periodum seu conversionem, admodum obscure indicat exemplo numeri novenarij, in seipsum reducti & multiplicati. Quod exemplum cum adeo obscurum & perplexum sit, ut omnes etiam acutissimi Platonis interpretes fateantur, se non posse assequi, quemnam numerum Plato præcisè intellexerit: ideo existimo eum numerum neq; à nobis scrupulosius esse inquirendum: præsertim cum ipse Plato videatur non omninò de eo certus fuisse. Nam in eodem loco ait, Musas invocandas esse, pro huius quæstionis vera explanatione.

Quæ autem tu existimas circa hanc quæstionem utiliter posse observari ?

Quatuor videntur circa hanc quæstionem de imperiorum & Rerum pub. mutatione esse notanda.

Quod est primum ?

Primum notandum est hoc ipsum, quod Cicero lib. 2. de Divinatione, ubi huius quæstionis mentionem facit, monet: Nimirum se à Platone, & ex Philosophia didicisse, Naturales esse quasdam conversiones Rerum publicarum, ut eæ tum à principibus, id est, optimatibus: tum à populis, ut in Democratia: aliquando à singulis, ut in Monarchia, à Regibus aut Tyrannis tenerentur.

Quod

Quod est alterum?

Deinde notandum est, quòd Plato videtur voluisse indicare: fatales esse imperiorum & Rerumpublicar. periodos: quæ posteaquam ad summum dignitatis & potentia fastigium pervenerunt, ut non videantur ulterius progredi: incipiant paulatim facta conversione rursus decrescere, imminui, & omninò corruere: propterea quòd succedunt novi & imperiti, & mali gubernatores, qui sua vel stultitia, vel improbitate, alijsq; vitijs perturbant harmoniam, hoc est, tranquillum Reipub. statum: unde necesse est existere seditiones, bella, & tandem everisiones Rerumpublicarum.

Quod est tertium?

Tertium quod hoc loco & quidem precipue notandum est, de quo etiam sacrae literae nos admonent, est: DEVM OPT. MAX. in cuius omnipotenti voluntate & manu omnia posita sunt, esse eum ipsum, qui regna & imperia constituit, conservat, mutat, transfert: interdum etiam iusto suo iudicio propter hominum peccata & ingratitude omninò everti, & interire permittit: cuius rei passim & in sacris literis, & profanis historijs plurima extant exempla & testimonia. Danielis 2. cap. dicitur: DEVS transfert Regna & constituit. Proverb. 8. Cap. per me Reges regnant. Syracid. cap.



cap. 10. Propter iniustitiam transferuntur Regna de gente ad gentem: & propter delicta terræ, citò alij post alios fiunt principes &c. Non igitur fatali quadam annorum revolutione neq; casu aliquo, Regna, Imperia, & Respub. conservantur, mutantur, aut evertuntur: sed singulari DEI consilio.

Quod est quartum?

Potest etiam appendicis loco hoc quartum iam dictis adijci, de quo admonet Philippus Melancthon, in suis Chronicis, quæ olim sub Carionis nomine fuerunt edita: Nimirum experientia observatum esse, quòd plerunq; circa annum quingentesimum magnæ mutationes in Regnis & Imperijs acciderunt: sicut multis exemplis ibidem ostenditur.

Α' κ' α' υ' λ' η
 η' α' υ' ι' δ' ι' ο' ς
 ε' η'.

Sufficiunt mihi pro hoc tempore ea, quæ de Platonis opinione commemorasti: sed quod est Aristotelis de ista Platonis sententia iudicium?

Aristoteles videtur potissimum quinque circa hanc questionem in Platonis opinione reprehendere. Primum, quòd non adfert propriam causam istius mutationis: sed eam quæ communis est etiam omnibus alijs rebus, quæ sunt in hoc mundo: nimirum quarum ea est natura & conditio: ut omne quod generatum est, etiam tandem intereat, necessarium sit: siquidem nihil in hoc mundo est, quod
 non



non sit corruptioni obnoxium: ut testatur quotidiana experientia.

Deinde, quod causam mutationis & interitus Rerumpublicarum transfert in tempus: quæ causa etiam est communis omnibus alijs rebus: siquidem omnes res tempore & vetustate mutantur, consumuntur, & pereunt. teste Ovidio, lib. 15. Metamor. Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas, Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi, Paulatim lenta consumitis omnia morte. Præterea si solum tempus esset causa mutationis & interitus rerum: tum ea quæ simul cepissent esse, etiam simul mutari aut interire necesse est: sed consequens est falsum: Ergo & antecedens.

Καὶ λέγει
τε τῆς αἰτίας
ὅτι οὐ
λέγει.

Tertio, quod de modo mutationis Rerumpublicarum non rectè videtur sentire. Ait enim formas Rerumpub: per ordinariam quandam successione, unã in alteram sibi proximè vicinam, antecedentem aut subsequente mutari, & degenerare: Aristoteles verò ostendit, nullam esse certã causam, propter quam hæc mutationis series servari debeat: sed sæpè accidere, ut aliqua forma Reipub. statim in sibi oppositam & contrariam mutetur.

Πρὸς δὲ
τούτοις δια-
τὴν αἰτίαν

Quartò, quod mutationis Rerumpub. tantum causam esse dixit Luxum & profusionem opum & facultatum: per quam cives ad paupertatem redacti, novas res moluntur, & seditiones excitant:

Πολλῶν τῶν
ἰσοῦν αἰτίας
ὧν δὲ ὧν

per

per quas existimant se posse iterum alias opes acquirere. Aristoteles verò ait etiam plures alias esse causas, propter quas interdum in Rebuspub. & civitatibus turbae, seditioes, & mutationes solent existere: de quibus prolixè supra in primis septem capitibus dictum fuit: quænam sint αἴτια φθορικὰ τῶν πολιτειῶν.

Quintò, quòd præterijt mutationem Tyrannidis: & de Oligarchiarum mutatione neque veram causam, neque verum modum indicavit.

Liber Sextus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes huius sexti Libri?

Aristoteles in hoc libro primùm tradit modum constituendi Democratiam & Oligarchiam in aliqua Repub. aut civitate: idq; in septem primis capitibus. Deindè, in postremo octavo capite enumerat varias species magistratum, qui in civitate & Repub. benè constituta videntur esse necessarij.

CAPVT I.

Quid in hoc Capite agitur?

Hoc caput est veluti proœmium huius libri: in quo hæc tria continentur. I. Ἀνακεφαλαιώ-

σις

ois eorum quæ in duobus libris sunt explicata: nempe de sex diversis Rerumpub. formis: & de tribus precipuis cuiusq; Reipub. partibus, veluti sunt, Senatus, Magistratus, & Iudicia.

II. Κατάστασις ἢ ἀστάσις quadripartita eorū, quæ in hoc libro vult explicare. Primum enim dicendum est quæ sint instituta & leges Oligarchiæ & Democratia. Deinde, quo pacto diversæ Rerumpublicarum formæ possint utiliter inter se commisceri. Tertio, de modo constituendi optimam Democratiam vel Oligarchiam. Quarto, quo ordine & qua methodo ista sint explicanda.

III. Pars huius proœmij est de utilitate huius doctrinae.

Sunt ne plures & diversæ species Democratiarum?

Quinq; sunt earum differentia sive species: de quibus in lib. 4. cap. 3. & 6. fuit explicatum.

Quare sunt plures Democratia?

Primum, quia diversæ sunt partes sive conditiones, & vitæ genera populi: alij enim sunt occupati in colendis agris, & pascendis pecoribus: alij exercent opificia, aut mercaturam: alij sunt mercenarij: alij aliud vitæ genus, quo se alunt, amplectuntur. Deinde, quia Democratia aliæ sunt puræ: in quibus omnia instituta sunt δημοκρατικά, popu-

λητέον δὲ
πρὸς ταύ-
των πινὸ
μέθοδον.

laria: alia sunt mixta, in quibus etiam quaedam leges ex alijs formis Rerumpublicarum sunt desumptæ.

Χρήσιμον
δ' ἐκείνων
αὐτῶν

Quæ est utilitas eorum præceptorum, quæ in hoc libro explicantur?

Duplex. Vna est, ut sciamus quo pacto Democrætiæ & Oligarchiæ rectè sint constituendæ. Altera, ut sciamus quomodo vitiosa Rerumpub. formæ sint corrigendæ: quorum utrunq; est officium boni politici.

Quæ sunt in universum consideranda ei, qui vult rectè bonam aliquam Rempublicam constituere?

Tria. Primum, τὰ ἀξιώματα, id est, opiniones & sententiæ, communiter receptæ & approbatæ ab ijs, apud quos vult Rempub. constituere. Deinde τὰ ἦθη, hoc est, mores & ingenia eorum. Tertio, αἱ ὀπιθυμίαι καὶ τὰ πάθη, quæ sint eorum cupiditates, & qui affectus: ut possit sua instituta illis, quantum fieri potest, accommodare: & in hac parte illis gratificari.

Vndè hæc cognoscuntur!

Partim ex eorum sermonibus, partim etiam ex eorum actionibus. Nam οἱ λόγοι, καὶ αἱ πράξεις sunt σημεῖα, indicia sensuum animi.

Qua

Quare hæc tria consideranda sunt ei, qui bonam
Rempub. vult constituere?

*Causam huius rei Aristoteles supra in lib. 3. cap.
7. refert: ὅτι δὲ πρὸς τὴν πολιτείαν τίθεται τὰς νό-
μους, ἀλλ' ἔτι πρὸς τοὺς νόμους τὴν πολιτείαν. Quia
leges accommodandæ sunt formis Rerumpublica-
rum, non autem Respublicæ ad leges.*

CAPVT II.

Quæ est ὑπόθεσις seu Fundamentum De-
mocratia?

Libertas. Ἡ ὑπόθεσις τῆς δημοκρατικῆς πολιτεί-
ας, ὅτιν, ἢ ἐλευθερία. ταύτης γὰρ σοχάζεσθαι φα-
εὶ πᾶσαν δημοκρασίαν.

Quæ sunt propriae notæ, seu, ut Aristoteles vocat,
ἴδιος Libertatis politica?

*Due. Prima est, Æqualitas iuris secundum
proportionem Arithmetica, ex qua existit vicif-
situs imperandi & parendi: τὸ ἐν μέρει ἀρχεῖν
& ἀρχεῖν. Altera nota Libertatis est, Licentia seu
potestas honestè vivendi ut velis: quam notam
Aristoteles probat à contrario: Quia seruitus est,
non pro suo, sed pro alterius arbitrio vivere. Hanc
notam Libertatis Plato in lib. 8. de Repub. nomi-
nat ἐξουσίαν ποιεῖν ὅ,τι τις βέλτεται. Et Cic. in lib. 1.
Offic. & in quinto Paradoxo Libertatem definit,
quòd sit potestas vivendi ut velis.*

Τῶν δὲ
ὑποκει-
μένων.

Quæ sunt *δικαία δημοτικὰ*, hoc est, jura & instituta, seu præcepta popularia?

Aristoteles undecim ordine enumerat. Quorum primum est: Omnibus civibus potestatem concedere eligendi magistratum ex omnibus civium ordinibus.

Alterum. Omnibus civibus, per vicissitudinem concedere ius imperandi & parendi: ut hoc modo omnibus pateat aditus ad honores.

Tertium. Magistratus omnes non per suffragia, sed per sortem eligere: exceptis ijs, in quibus administrandis singularis prudentia & experientia requiritur.

Quartum. Nullos magistratus ex censu, nisi fortè admodum exiguo, alicui demandare.

Quintum. Nullum magistratum eidem sæpius committere: excepto bellico magistratu.

Sextum. Nemini magistratum nimis diu concedere.

Septimum. Iudices ex omnibus ordinibus deligere: eisq; potestatem iudicandi de omnibus, aut saltem de gravioribus rebus concedere.

Octavum. Penes concionem populi, hoc est, penes Senatum, qui ex universo populo electus est, summam esse auctoritatem deliberandi & decernendi de rebus gravioribus ad Rempub. pertinentibus. Cæteris verò magistratibus, non nisi de rebus
minimis

minimis aliquid statuendi potestatem permittere.

Nonum. Mercedem aliquam sive sportulas dare omnibus, qui publicis concionibus, iudicijs, & deliberationibus intersunt: ut eò frequentiores conveniant.

Decimum. Homines obscuros, ignobiles, pauperes, & sordida opificia exercentes non planè à publicis honoribus & officijs excludere.

Vndecimum. Quod ferè idem est cum sexto: Nullum magistratum debere esse perpetuum. Sic enim plures poterunt ad istos honores pervenire: & præcidetur ijs, qui magistratum aliquem gerunt, occasio abutendi suâ auctoritate & potentia adversus Rempub.

CAPVT III.

Cum æqualitas juris ad concordiam inter cives alendam, maximi sit momenti: Quæro ex te, quomodo ea sit æstimanda?

Φασὶ γὰρ
οἱ δημοκρα-
τικοὶ τὸτο
δίκαιον.

A Equalitas iuris non eodem modo in Democratia & Oligarchia solet æstimari. Nam in Democratia à plebeijs, & à populo ea æstimatur secundum proportionem Arithmeticam: si nimirum omnes cives equali loco & iure habentur, citrà ullum respectum personarum: & illud sit δίκαιον δημοκρατικόν, quod pluribus & maiori parti visum fuerit. In Oligarchia verò à nobilibus & divitibus aqua-

litas iuris aestimatur secundum proportionem Geometricam: ita ut illud iustum & ratum habeatur, quod divioribus & potentioribus visum fuerit.

Τίς ἂν ἐν
εἰη ἡσότης
ἢν ὁμολο-
γήσῃσιν.

Quid ad hæc Aristoteles respondet?

Aristoteles utrorumq₃ sententiam negat simpliciter veram & bonam esse. Nam si Democraticorum & plebeiorum sententia simpliciter debet esse vera: tunc illis secundum hoc ius licebit impune invadere, & diripere bona divitum: & sic introducet^{ur} summa licentia pauperum adversus divites. Si verò Oligarchicorum sententia fuerit vera: tunc secundum ius licebit illis impune pauperes iniuriâ afficere & opprimere: & sic confirmabitur Tyrannis divitum atq₃ nobilium adversus cives pauperes & plebeios.

Quæ est igitur Aristotelis sententia de æqualitate juris inter cives constituenda?

Aristoteles ait utrumq₃ ordinem civium, tam nobilium atq₃ divitum, quam plebeiorum & pauperum simul considerandum esse: ita ut omnium simul habeatur ratio: & illud iustum ratumq₃ censeatur: quod maiori parti ex utroq₃ civium ordine utile & salutare visum fuerit: ne ulla pars civium videatur fuisse neglecta.

CAPVT

CAPVT IIII.

Quæ Democratia iudicatur ab Aristotele
esse optima?

Δημοκρα-
τιῶν δ' ἕ-
στῶν τετρί-
των.

EA quæ constat ex agricolis, quibus etiam an-
numerari possunt pastores: nam quod ad vitæ
conditionem attinet, multa habent similia cum a-
gricolis, vivam quasi agriculturam exercentes:
quemadmodum supra lib. 1. cap. 5. dictum est.

Quare iudicat talem Democratiam esse
optimam?

Propter duas causas. Primum, Quia est anti-
quissima. Nam primos homines, agricolas aut pa-
stores fuisse, non solum veterum poetarum & histo-
ricorum monumenta: verum etiam sacra litera
testantur. Deinde quia administratur ab eius-
modi hominibus, qui olim inter optimos habeban-
tur.

Quare Agricolaë olim habebantur inter opti-
mum populum?

Quoniam propter inopiam perpetuò occupati
sunt in laboribus ad acquirendum victum, & reli-
qua vitæ necessaria: ita ut illis non sit ocium insidi-
andi aliorum bonis & facultatibus. Propterea quia
in urbibus multa sunt voluptatum illecebra, varia
se offerunt occasiones ad peccandum, plurima repe-
riuntur malorum & improborum hominum e-

xempla, per quæ interdum etiam boni possunt cor-
rumpi. Deniq; quia agricolæ non ambitiosè affe-
ctant honores in Republica. Sed ut Aristoteles in-
quit, ἡδίων αὐτοῖς ἔστιν ἐργάζεσθαι, ἢ πολιτεύεσθαι, ma-
lunt laborare, quàm Rempub. administrare. Nam
ex eiusmodi laboribus, honestas sibi acquirunt di-
vitiis, quæ illis longè sunt suaviore, quàm hono-
res, qui ex magistratibus percipiuntur: qui inter-
dum plus invidiæ & molestiarum, quàm utilitatis
in se habent. Quod Aristoteles confirmat exemplo
priscorum agricolarum: qui etiam Tyrannides, &
durissimas Oligarchias patienter tulerunt: modò
non impedirentur in colendis suis agris, & in perci-
piendis ex eorum cultura fructibus. Hinc Cic. pro
Q. Roscio inquit, Vita rustica maximè disiuncta
est à cupiditate, scilicet honorum & pecuniæ: est q;
parsimonie, diligentie & iustitie magistra.

Ἐπὶ δὲ τὸ
κυρίως εἶ-
ναι τὴν ἐλέ-
ειαν.

Sed quid faciendum est, si etiam aliqui ex agri-
colis sint honorum cupidi?

Talibus Aristoteles existimat duplici ratione
posse occurri, ne videantur planè ab honoribus ex-
cludi. Primum, si etiam adhibeantur electioni
magistratum. Deinde, si quoq; vocentur ad au-
diendas, & cognoscendas rationes gestorum magi-
stratum.

Quæ

Quæ sunt autem observanda circa electionem magistratuum in tali Democratia?

Διὸ δὲ καὶ
συμφέρον
ἔστι.

Tria. Primum, ut omnibus potestas sit veniendi ad eiusmodi electionem. Deinde, ut magistratus non sorte, sed per suffragia eligantur. Tertio, ut in maioribus magistratibus mandandis ratio habeatur, partim censuum & facultatum: partim etiam virtutis & industriae: ne tales magistratus mandentur vel nimium pauperibus, qui illis rectè administrandis propter egestatem vacare non possunt: vel hominibus imperitis, & ad eiusmodi munia rectè obeunda minus idoneis.

Quæ utilitas est huiusmodi Electionis?

Primum, quòd hac ratione precipui magistratus semper per optimos quosq; administrabuntur. Deinde, quòd populus non invitus, sed volens obtemperabit illis magistratibus: quos ipsemet suo suffragio elegit. Tertio, quòd ij, qui hoc modo electi sunt, non laborabunt invidia apud subditos. Quarto, quòd hac administratio non displicebit viris bonis & excellentibus: siquidem non cogentur subiecti esse deterioribus. Quinto, quòd hac ratione ipsi qui magistratu funguntur, magis continebuntur in officio, ut iustè imperent: scientes sibi rationes reddendas esse populo, de omnibus ijs, quæ in magistratu gesserunt.

V §

Πρὸς δὲ τὸ
κατασκευά-
σαι.

Quomodo autem potest in tali Democratia populus in agriculturæ studio retineri?

De ea re Aristoteles commemorat fuisse apud veteres tres leges constitutas: quarum prima fuit: Nemini licitum esse debere, plures agros coemere et continuare: ne per hanc rationem omnes agri paulatim venirent ad paucos dominos divites: reliqui verò pauperes cogerentur egere. Altera lex. Nemini licitum sit, eam partem agrorum, quam vel à Repub. per sortem: vel à suis maioribus per hereditatem accepit, vendere, vel alienare, vel alteri pro pecunia mutuò accepta, oppignorare. Tertia lex inbebat, ut singuli eam partem agrorum, quæ illis à Repub. assignata fuerat, ipsi colerent, & de illis censum annuum civitati persolverent.

Τὰ δ' ἄλλα
πλήθη
πάντα.

Quare reliqua turba hominum, veluti sunt opifices, institores, mercenarij & similes, non sunt æquè idonei ad constituendam bonam Democratiam, sicut agricolæ?

Propter duas causas. Primum, ὅτι ὁ βίος αὐτῶν φαῦλος, καὶ ἔθελον ἔργον μετ' ἀρετῆς: h. e. Quia vitæ genus, quod sectantur, est vitiosum, & nulla habet virtutis exercitia: sed maiore ex parte ad questum, avaritiam, dolum, & fraudes est directum. Deinde, quia hoc genus hominum plerunque est curiosum, & novarum rerum cupidum: ideoq; tales frequentiores sunt in publicis conventibus & deliberationibus.

rationibus: in quibus sæpe solent bona consilia vel oppugnare, vel impedire, vel omnino evertere: ab agricolis verò & pastoribus, quia per agros, per sylvas, & montes extra urbem sunt dispersi, nihil tale est metuendum.

Quæ est deterrima Democratia?

Ea quæ ab Aristotele supra in 4. libro postremo loco fuit posita: in qua omnes qui in civitate habitant, indifferenter pro civibus habentur: & ad honores atq; magistratus admittuntur.

Πῶς μὲν
ἐν δευτέρῳ
τασ κενό-
ζειν.

Quare hæc Democratia dicitur deterrima?

Quia in ea est magna confusio civium: cum omnes tam nobiles, divites, clari, quàm ignobiles, pauperes, & plebey atq; infirmi eodem loco habentur. Et propterea quoq; necesse est eam non esse diuturnam & stabilem.

Quæ sunt circa Democratiam observanda, ut possit esse firma?

Πρὸς δὲ τὰ
καθιστάμενα
ταύτην.

De hac re tria ab Aristotele traduntur præcepta. Primum est, Ad stabiliendam Democratiam utile est plebeiiorum civium numerum augere, ut maior sit populi potentia, ad resistendum divitibus & nobilibus: ne possint populum opprimere.

Quomodo augetur civium numerus?

Si non solum in civium numerum recipiuntur, qui ex utroq; parente, sed etiam qui ex uno solum parente cive nati sunt: præterea si etiam peregrini & exteri, civitatis iure donantur.

Sed

Sed quid hîc est observandum ?

Cavendum est, ne civium plebeiorum numerus nimium augeatur : sed tantum eò usque, ut populi potentia maior sit, quam reliquorum civium. Etenim nimia populi multitudo parit in Repub. ἀταξίαν, id est, confusionem : deinde reddit populum petulantem & effrenem, existimantem sibi quidvis licere : unde facile existunt seditiones, per quas eiusmodi Democratiae tandem evertuntur.

Ἐπὶ δὲ καὶ
τὰ τοιαῦτα
κατασκευ
εἰσμετα

Quod est alterum præceptum stabilien-
dæ Democratiae ?

Ad stabilendam & conservandam Democratiam utile etiam est, servare quatuor instituta Clis-thenis Atheniensis, qui pulsis triginta Tyrannis Democratiam populo restituit. Quorum primum est, quòd eiectis triginta Tyrannis, plures tribus φυλὰς, & tribuum partes & εἰσαίτας constituit. Alterum, quòd privata singularum familiarum sacra commutavit in publica & communia. Tertium, quòd omnia discrimina ordinum inter cives sustulit: & cives ita inter se permiscendos esse censuit: ut nulla, aut saltem exigua ratio haberetur nobilitatis generis, divitiarum & similium rerum. Quartum, quòd sustulit collegia & sodalitates civium, quæ sub imperio XXX. Tyrannorum fuerant instituta : ne cives sub pretextu istarum sodalitatum

litatum possent deinceps inter se conspirare, & turbas movere.

Quod est tertium præceptum?

In stabilienda ultima Democratia, utile est etiam quaedam Tyrannica instituta assumere: siquidem hæc ultima Democratia est species quaedam Tyrannidis: unde etiam Cic. in lib. de Repub. populum nominat Tyrannum. Quæ autem sint illa Tyrannica *κατασκευάσματα*, supra lib. 5. cap. 11. dictum est.

Ἐπὶ δὲ καὶ
τὰ τυραν-
νικὰ κατα-
σκευάσ-
ματα.

CAPVT V.

Quid in hoc capite agitur?

T Raduntur quaedam alia præcepta generalia, quo pacto Democratia sint diu in suo statu conservanda: siquidem boni politici et legumlatoris officium est, non solum benè posse Rempub. aliquam describere & constituere: sed etiam rationem ostendere, quo pacto possit quàm diutissimè in suo statu firma & stabilis permanere, iuxta dictum Poëta, Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri: Casus inest illic, hic erit artis opus. Imò ex diuturnitate alicuius Reipub. optimè potest iudicium fieri de eius bonitate & perfectione. Quam ob causam etiam Lycurgi prudentia fuit celebrata: qui apud Lacedæmonios talem formam Reipublicæ consti-
tuit:

Ἐπὶ δ' ἐξ-
γόν τῶ νο-
μοθέτα.

ruit: quæ per multa secula duravit.

Quot traduntur in hoc capite ab Aristotele præcepta δημοκρατικῶν?

Septem, quorum primum generatim pertinet ad omnes Respub. videlicet vitare omnia ea, quæ Rempublicam possunt mutare aut perdere: contra verò eiusmodi leges & consuetudines introducere, quæ Reipub. possunt esse utiles & salutare.

Καὶ μὴ νο-
μιζῆν τῶν
ἐπισημῶν.

Alterum, Populi potentiam non nimium augere: ne inde reddatur effrenis & petulans, & occasionem nanciscatur movendi turbas et seditiones.

Tertium, Non permittere Demagogis, ut bona & pœnæ pecuniariæ Reorum condemnatorum publicentur, & inter populum distribuantur: sed potius in sacros usus & cultum divinum convertantur: ne populus in condemnandis reis, & eorum bonis publicandis nimium sit facilis.

Ἐπὶ δὲ τὰς
γενόμενας
δημοσίας.

Quartum, Cavere ne publica iudicia sint frequentia: & graves pœnas constituere ijs, qui temerè aliquem accusarunt.

Quintum, Operam dare, ut vel omnes cives, vel saltem maior & melior pars eorum, qui ceteris nobilitate, divitijs, prudentia, & usu rerum antecellunt, optimè affecti sint erga Rempub.

Sextum, Rariores habere conciones seu conventus civium, in quibus populo distribuenda est sportula, hoc est, merces seu pecunia aliqua tenuioribus: quæ pecunia colligebatur vel à ditioribus, vel ex pu-
blico

blico arario erat sumenda. Sic enim divites minus gravabuntur: & ararium minus exhaurietur.

Septimum, Inprimis verò cavere oportet, ne populus nimia prematur egestate: Nam, ut in lib. 2. cap. 4. dictum est, ἢ πένια σάσιν ἐμποιοῖ, καὶ κακῆς γίαν. Itaq; excogitandi sunt modi aliqui, per quos possit pauperum egestas sublevari: quorum Aristoteles hoc loco quatuor enumerat. Primus modus sublevandi egestatem pauperum est, in civitatibus, quæ habent magnos redditus, ex publico arario pecunia aliqua pauperibus danda est, qua possint vel agrum aliquem sibi emere ad comparandum vitum: vel negociationem aliquam instituere, unde lucellum aliquod habeant.

Ἀλλὰ δεῖ
τὴν ἀληθι-
νῶς δημο-
πικόν

Alter modus sublevandi pauperes sumitur ab exemplo Carthaginensium: qui pauperes cives mittere solebant in colonias & exteras provincias: iisdemq; distribuiebant agros & prædia colenda.

Tertius modus est, si Respub. vel etiam alij privati nobiles & divites pauperibus præbeant aliqua opera efficienda, pro certa mercede: ut inde sibi vitæ necessaria possint comparare.

Quartus modus sumitur ab exemplo Tarentinorum: qui ut populi favorem & gratiam retinerent: solebant suorum bonorum usumfructum aliqua ex parte etiam pauperibus communicare: proprietatem tamen eorum sibi reservantes. Ita etiam olim DEVS populo Israëlitico præceperat, ne agros suos

suos omnino demeterent: sed partem aliquam fructuum pro pauperibus illis relinquerent. Prætereà magistratus solebant eligere partim per sortem, partim per suffragia: ut hac ratione etiam pauperibus relinqueretur aliqua spes perveniendi ad tales honores.

CAPVT VI. ET VII.

Quid in his duobus capitibus agitur?

Quemadmodum in quatuor proximis capitibus Aristoteles præcepta quædam tradidit Democratica: ita in his duobus capitibus tradit præcepta Oligarchica, hoc est, de constituenda & conservanda Oligarchia.

Τὴν εὐκράτην
ἐυκρατοῦ
μειλίαν.

Quotuplex est Oligarchia?

Aristoteles hoc loco duplicem facit Oligarchiam: unam nominat εὐκρατοῦ, id est, benè temperatam, hoc est, moderatam, non nimis duram: quam etiam nominat πρώτην, primam, hoc est, optimam: quæ vicina est ei formæ, quæ communi nomine πολιτεία, appellatur. Alteram ἀκρατοῦ, non temperatam, duram & severam: quæ est pessima, & vicina Tyrannidi: quam propterea nominat δυνασικωτάτην, καὶ τυραννικωτάτην τῶν ὀλιγαρχιῶν.

Quot habes de Oligarchia in his duobus capitibus præcepta?

Novem, quorum primum est, In constituenda Oli-

Oli-

Oligarchia omnia ferè contrario modo instituenda sunt, quàm in Democratia: & ratio est, quia Oligarchia Democratia est contraria.

Alterum præceptum, In mandandis magistratibus & conferendis honoribus, ratio habenda est censuum & facultatum: ita ut præcipua auctoritas & potestas sit penes eos, qui opibus & divitijs antecellunt.

ἢ δὲ τὰ πρὸ
μήματα
διαρῆναι

Tertium præceptum, Etiam tenuioribus civibus aditus ad honores concedendus est, si assecuti fuerint eum censum qui præfinitus est: & idonei sint ad publica negotia rectè administranda.

Quartum præceptum, Interdum etiam census augendus est: ne nimis multi irrepant in magistratum: & sic ex Oligarchia paulatim fiat πολυαρχία.

Ὁμοίως
δὲ καὶ πλεῖ
ἐχομένης

Quintum præceptum, In extrema & pessima Oligarchia, diligentissima cura & custodia opus est, ut in suo statu possit conservari. Ratio, quoniam ea quæ plus in se habent vitij, facilimè & levissimè de causa offenduntur, & pereunt. Declaratur duobus exemplis similibus.

Sextum præceptum, Quemadmodum Democratia præcipuè conservantur & stabiliuntur numero & multitudine civium: ita Oligarchia conservanda sunt τῆ ἐυταξία, bono ordine civium.

Τὰς μὲν
ἐν δημοκρατία
κεφάλαια

Septimum præceptum, Ad constituendam fir-

X

nam & diuturnam Oligarchiam, eligere oportet regionem planam & campestem: quæ apta sit ad alendum equitatum, & ad pedestres copias militum gravioris armaturæ: nam in his duobus præcipue consistit robur, potentia, & salus Oligarchicorum.

Octavum præceptum, Ad publicos honores & magistratum aditus patere debet, non solum ijs, qui in præsentis tempore habent censum præfinitum: verum ijs, qui postea eum sunt suâ industriâ consecuti: si ad certum aliquod tempus à sordidis opificijs abstinnerunt: aut propter certas causas fuerunt ab alijs ex reliqua civium multitudine peculiariter electi.

Ε'πὶ δὲ τῆς
ταῦς ἀε-
χαις ταῦς.

Nonum præceptum, Ad conservandam Oligarchiam utile est, ut ijs qui maiores magistratus gerunt, etiam iniungantur quædam publica munia, & onera suis proprijs sumptibus, in communem civitatis usum sustinenda & perficienda. Veluti sunt, ut initio sui magistratus publica sacrificia magnificè pro salute totius civitatis peragere: Tempia Deorum splendidis donarijs exornare: epulum populo præbere: munitiones quasdam, ut mœnia, aggeres, fossas, propugnacula, in defensionem urbis extruere: consimiliter etiam publica ædificia, theatra, porticus, basilicas, aquæ ductus, thermas, & his similia in communem civium usum adorna-

re:

re: deniq; ludos & spectacula populo exhibere. Ex quibus duplicem percipient utilitatem. Vna est, quod cives minus inuidebunt ipsis illos honores: altera, quod hac ratione ij, qui hos sumptus faciunt, relinquent post se perpetuam memoriam & monumenta sua erga Rempub. liberalitatis.

CAPVT VIII.

Quid in hoc capite agit Aristoteles?

Aristoteles in hoc capite iterum agit de differentijs magistratum in civitate & Rempub. rectè constituenda: de quibus etiam supra in lib. 4. cap. 14. ceperat agere.

Quare iterum de magistratibus agit?

Quia ex tribus partibus, quæ legumlatori & politico in constituenda Rempub. consideranda sunt, Magistratus est præcipua pars, & maximè necessaria.

Quæ sunt illæ tres partes?

Vna dicitur βουλῆ, id est, Senatus seu consilium, cuius officiū est consultare & deliberare de rebus & negotijs communiter ad civitatē & omnium civiū salutem atq; utilitatem pertinentibus. Altera pars nominatur ἀρχὴ, id est, magistratus, penes quem est imperandi & iubendi potestas atq; auctoritas.

Tertia pars sunt τὰ δικαστήρια, iudicia, in quibus de controversiis & contractibus civium forensibus disceptatur.

Quare Magistratus est præcipua pars in Repub. ?

Quia etiam duas reliquas partes sub se complectitur, quibus quoque potestatem habet mandandi & imperandi ea, quæ videntur ex utilitate & dignitate Reipublicæ esse necessaria. Sic enim scribit Aristoteles lib. 4. Politic. cap. 14. ἡ ἀρχὴ ὅτι μέρους τῆς πολιτείας, ἢ ἀποδέδοται τὸ βουλευσάμενος περὶ πᾶν καὶ κρίναι, καὶ ἐπιτάττειν.

Quis dicitur magistratus ?

Magistratus est persona publica in potestatem aliqua constituta, per quam habet ius tam imperandi ea quæ fieri vel non fieri debent, quam cogendi & puniendi inobedientes & delinquentes.

Quæ est igitur propria nota, vel ut Cicero nominat, Vis, hoc est, Officium Magistratus ?

Proprium munus & officium Magistratus est, ἐπιτάττειν, id est, præcipere & imperare recta, utilia, & cum legibus coniuncta. Sic inquit Aristoteles τὸ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερον ὅτι: præcipere & mandare maxime proprium est ipsius magistratus. Et Cic. lib. 3. de Leg. Magistratus hæc est Vis, ut &c. pag. 106.

¶ndè

Vndè Magistratus habet suam authoritatem
& potestatem?

A DEO ipso, teste Apostolo Paulo, in Epist. ad Rom. cap. 13. Is enim est qui primus magistratum constituit, eiusq; authoritatem esse salvam voluit, & hætenus punivit eos, qui magistratui se opposuerunt: sicuti testantur tam sacra, quàm prophana historia seditiosorum hominum, qui divinitus fuerunt puniti: imò etiam Ethnici poëta affirmant, Reges Terræ DEO curæ esse, atq; ab eo iuvari atq; defendi: unde Homerus eos nominat Διοτρεφῆς, quasi Iovis alumnos. Propter hanc causam etiam Apostolus 1. Timoth. cap. 2. precipit, pro Regibus & Magistratibus esse orandum.

Quare Magistratus in civitatibus sunt
necessarij?

Propter officium quod sustinent, de quo antea dictum est: quod consistit primum & maxime in prescribendo & percipiendo ea, quæ sunt honesta, utilia, & legibus consentanea: deinde in vetando & prohibendo ea, quæ illis sunt contraria: tertio in coercendis & puniendis ijs, qui legum sunt contemptores & transgressores. De qua necessitate Cic. lib. 3. de Legib. sic scribit: Magistratibus in civitate opus est: sine quorum prudentia & diligentia esse civitas non potest: quorum descriptione & con-

X 3

stitutione, quæ cuiusq; Reipublicæ forma sit, intelligitur. Et in eodem libro: Sine imperio, hoc est, sine Magistratu, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.

Est ne unus solus Magistratus?

In omni quidem Repub. benè constituta, unus est aliquis summus magistratus: verùm propter rerum & negociorum civilium multitudinem & varietatem, quæ tanta est, ut non possunt solum per unum aliquem commode administrari: ideo plures sunt magistratum differentia sive species, quas Aristoteles partim supra in lib. 4. cap. 14. ceperat enumerare: partim verò plenius in hoc capite persequitur: quas sub sequente divisione possumus aliquo modo comprehendere.

Πρῶτον
μὲν ἔν ἑπι-
μέλεια.

Quæ est igitur ista Magistratum
divisio?

Magistratus alij sunt necessarij: alij non necessarij, sed honorarij. Necessariorum sunt tres differentia: alij enim sunt Politici, alij Bellici, alij Sacri. Necessariorum quinque sunt species, nempe Præfectura Mulierum, Puerorum, Legum, Gymnasiorum, Ludorum & Certaminum.

Quæ

Quæ sunt differentia Politicorum Magistratum?

Politicorum Magistratum duæ sunt differentia: alij enim sunt Urbani: alij Suburbani. Ex Urbanis unus aliquis magistratus est summus: veluti ἡ βουλὴ, Consilium seu Senatus. Reliqui sunt inferiores: quorum septem species in hoc loco enumerantur: veluti sunt I. οἱ ἀγορανόμοι, præfecti fori, & rerum venalium. II. ἀσωνόμοι, præfecti edificiorum in urbe tam publicorum, quam privatorum. III. ὑπηρεταὶ τῶν ποσῶν, præfecti Ararij, & publicorum reddituum. IIII. οἱ γραφεῖς, Scribae, & publici notarij contractuum. V. οἱ κομαλοφύλακες, præfecti custodum carceris, & eorum qui Reipub. nomine captivi tenentur. VI. οἱ ἀνάλογες, Exactores mulctarum ab ijs, qui in iudicio sunt condemnati. VII. ἐξετασται τῶν ἐυδυνῶν, præfecti audiendis, cognoscendis & corrigendis rationibus eorum, quæ quis in magistratu suo gessit. Suburbanorum Magistratum sunt duæ species: nempe οἱ ἀγορονόμοι, agrorum procuratores: & ὑλωροὶ, sylvarum custodes.

Quæ sunt differentia Bellicorum Magistratum?

Ex bellicis magistratibus unus aliquis est summus, πολέμαρχος: reliqui sunt ei subiecti: ex qui-

Μετὰ δὲ
ταύτας
ταῖς ἀναγο-
καίας.

bus alij sunt primarij & duces: quorum sunt tres species: nempe ἡ στρατηγὸς, duces peditum: ἡ πηπάρχου, magistri equitum: ναύαρχου, praefecti classici. Alij vero sunt secundarij: videlicet φύλαρχου, ταξιάρχου, λοχαγὸς, ἑκατόνταρχου, δεκάταρχου, & similes.

Ἄλλο δὲ
εἶδος ἐπι-
μελείας ἢ
ὡς τὰς
Θεῶν

Quæ sunt differentia Sacrorum Magistratum?

Qui circa res sacras versantur, sunt duplices: aut ipsi res sacras peragunt & operantur: ut sunt ἱεροποιοὶ, sacrifici & sacerdotes: aut procurant, ut ea quæ ad divinum cultum pertinent, ritè administrantur & conserventur: atq; horum alius est supremus, qui dicitur Rex sacrorum, & πρῶτος ἀνὴρ: alij sunt inferiores, veluti sunt eius ministri: item ναοφύλακες, templorum custodes: item ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, quæstores & dispensatores sacrarum pecuniarum, & aliarum rerum quæ ad ornatum templorum pertinent.

Atq; hæc sunt differentia Magistratum, quæ ab Aristotele in hoc capite enumerantur. Quæ autem fuerint singulorum officia, & quis usus: videatur ipse textus Aristotelicus: & consulatur Carolus Sigonius in libello de Repub. Atheniensium.

LIBER

Liber Septimus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes huius libri?

Quod argumentum huius libri sit, statim expressis eius verbis intelligi potest: inquit enim Aristoteles se velle instituere ζήτησιν περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας, inquisitionem de optima Repub. quo pacto ea sit constituenda. Quod verò ad partes huius libri attinet: videtur quoq; ipse Aristoteles in principio quarti capituli duas eius constituere partes: proœmium scilicet, ἔκθεσιν: cùm ait se ea, quæ in tribus primis capitulis habentur, proœmij loco scripsisse: deinceps verò restare, ut ostendat, quo pacto ex voto optima Respub. sit constituenda.

Quid in exordio agitur?

In exordio huius libri præcipuæ hæ tres quæstiones explicantur: Prima, Quæ sit hominis optima vita? Altera, Vtrum eadem sit felicitas seu beatitudo totius civitatis, quæ est singulorum civium? Tertia, Vtra vita sit præstantior, Politica ne seu practica: an Philosophica seu theorica. His tribus quæstionibus in secundo capite etiã annectitur quarta quæstio, Quis sit optimus status civitatis? quæ quæstio postea in altera huius libri parte explicatur.

X §

Altera pars huius libri, ἢ ἐκθεσις, quæ continet?

Hæc ἐκθεσις incipit in quarto capite, & continet in se duas partes: quarum prima est de modo & ratione constituendi optimam Rempub. Altera continetur in duobus postremis capitibus, nimirum de ratione educandi & instituendi eum, qui bonus civis fieri debet: factò initio ab ipsa infantia, seu potius à tempore conceptus, usq; ad finem anni septimi.

CAPVT I.

Quid præcipuè considerandum est ei, qui cupit optimam constituere civitatem seu Rempublicam?

Περὶ πολιτείας ἀριστοῦς τὸν.

EI qui cupit optimam constituere civitatem & Rempub. præcipuè considerandum est, quæ sit optima, hoc est, beata hominis vita: quæ ei maximè est expetenda. Nam in hunc finem initio civitates præcipuè fuerunt conditæ: ut homines inter se mutuò benè beatèque viverent.

Quæ est autem hominis optima vita?

Optima hominis vita est, quæ coniuncta est cum virtute: insuper etiam omnibus ijs bonis satis instructa, quæ requiruntur ad virtutum actiones sine impedimento exercendas.

Quare talis vita dicitur esse optima?

Quia est perfecta: constat enim ex omnibus tribus bonorum generibus, Animi, Corporis, & Fortune.

tunc.

tuna: inter quæ tamen, Animi bona, hoc est, Virtutes, præcipuum locum habere debent: ita ut ea vita sit optima, in qua plurimum est virtutis.

Obiectio. Atqui plerique homines eam vitam optimam esse existimant, in qua plurimum est bonorum Fortunæ: etiam si parum ei adsit virtutis: vndè etiam semper illud Poætæ in corde & ore habent: O cives, cives: quærenda pecunia primùm: Virtus post nummos?

Ἡμεῖς δὲ
αὐτοῖς ἰ-
σχυόμεθα.

Hanc vulgi opinionem falsam esse, Aristoteles affirmat, posse duplici modo probari: primùm Ἰσχυρῶν ἔργων, id est, ipsis rebus & factis: seu ab experientia: deinde, κατὰ τὸν λόγον, id est, rationibus & argumentis.

Quo pacto istud probat ἐκ τῶν ἔργων?

Duobus argumentis sive signis. Primum, Quia ex communi vita compertum est per bona animi, hoc est, per virtutes, doctrinam, & eruditionem posse comparari & acquiri honores, dignitates, opes, atq; divitias: sicut testantur infinita exempla eorum, quos virtus & eruditio ē pauperibus divites fecit: ex obscuris nobiles & claros reddidit: & ex humili loco ad altissimum dignitatis et honoris gradum evexit. Etenim ut Plautus ait, Virtus omnia in se habet, omniaq; bona adsunt ei, penes quem est virtus. Et Virgilius libro decimo: Virtutis opus est famam extendere factis. Et Ovidius: Probitas;

Probitas magnos ingeniumq₃ facit. Imò sine virtute bona externa non sunt firma, nec diuturna: sed paulatim amittuntur & evanescent.

Καὶ τὸ ζῆν
ἰσοδομο-
τως, εἰς
αὐτὸν

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sive signum sumitur à communi hominum iudicio, atq₃ ab ipso facto. Et si enim omnes propè homines maiore studio contendunt ad divitias cumulandas, quàm ad comparandam virtutem: tamen velint, nolint, coguntur beatiore*s* iudicare, & magis admirari, & honorare eos, qui virtutibus, doctrina, & sapientia ceteris antecellunt, licet non sint divites: quàm eos qui divitijs quidem abundant: nulla autem virtute aut doctrinâ sunt præditi. Undè apparet beatam vitam magis ex animi, quàm ex fortuna bonis estimandam esse.

Οὐ μὴν
ἀλλὰ καὶ
κατὰ τὸν
λόγον.

Quomodo autem hoc ipsum Aristoteles probat κατὰ τὸν λόγον, id est, argumentis & rationibus, ex ipsa re desumptis?

Huius probationis ab Aristotele commemorantur quinque argumenta: quorum primum sumitur à natura externorum bonorum. Bona externa sunt finita: igitur in illis non querenda est nimia multitudo: & per consequens ex eorum multitudine & affluentia non est hominis felicitas estimanda. Antecedens probatur. Omne instrumentum est

est

est finitum, supra lib. i. cap. 5. & infra cap. 4. Bona autem externa sunt instrumenta ad actiones virtutis exercendas. Ergo sunt finita.

Alterum argumentum sumitur ab effectu contrario. Quae bona multis hominibus fuerunt exitiosa, in illis non potest collocari beata hominis vita: Sed bona externa, veluti sunt honores, forma, & robur corporis, divitiae, & his similia, multis fuerunt exitiosa: quod infinitis exemplis potest demonstrari. Ergo in bonis externis non ponenda est beata hominis vita.

Tertium argumentum sumitur à dignitate & praestantia subiecti, cui virtutes insunt, nempe ab animo, quem debent perficere: qui longè praestantior est corpore aut fortuna.

Quartum argumentum sumitur ex compara-
 tione bonorum animi & externorum: nam animi
 bona per & propter se expetuntur: externa autem
 bona expetuntur non propter se, sed propter animi
 bona, id est, virtutes: quatenus sunt instrumenta.
 Confirmatur haec ratio exemplo DEI, qui per se,
 & propter se est beatus & laudandus, & non pro-
 pter aliud.

Quintum argumentum sumitur à discrimine,
 quod est inter beatam vitam & secundam fortu-
 nam: nam si ἡ εὐδαιμονία, id est, beata vita homi-
 nis posita esset in externis bonis: tunc ea nihil differ-

ret

Επι δὲ τῆς
 ψυχῆς ὡς
 βελτιοῦ.

ret ab εὐτυχία, id est, secunda fortuna: & sic omnes εὐτυχεῖς, id est, fortunati, quoque essent εὐδαίμονες, id est, beati. Sed consequens est falsum: nam viri boni propter virtutem dicuntur revera esse beati: etiamsi sæpenumerò non sint fortunati. Sic multi sunt mali & improbi, quibus fortuna favet, & iudicantur esse fortunati: qui tamen non possunt dici beati.

Ἐχόμενον
δ' ἐστὶ καὶ
τῶν ἀν-
θρώπων.

Si itaque de optimè constituta civitate iudicandum est ex hominis optima vita: quæ igitur civitas dicitur optimè esse constituta?

Eam civitatem optimè constitutam esse existimo: in qua omnes aut saltem plerique cives virtutis sunt studiosi, id est, secundum virtutem vivunt & agunt. Ratio sumitur à vi & efficacia, seu ab effectu virtutis. Etenim quemadmodum virtus potest singulos homines privatim reddere beatos: ita etiam potest universam civitatem publicè beatam efficere.

C A P V T II.

Πότερον ἡ
τὴν εὐδαί-
μονίαν.

Est ne eadem totius civitatis beatitudo, quæ est singulorum civium?

Maximè, siquidem totum sequitur naturam partium. Confirmat autem hoc Aristoteles à communi hominum iudicio & consensu: qui licet dissentiant de ipsa re, in qua beatitudinem collocant:

cant:

cant: siquidem aliqui eam in voluptate, aliqui in divitijs, aliqui in honore, aliqui in potentia, alij in alia re ponunt: tamen omnes uno quasi ore fatentur, totius civitatis felicitatem pendere ex singulorum civium felicitate: & vice versa: ita ut eadem sit totius civitatis, & singulorum civium beatitudo: Eadem autem non numero, sed τῷ εἶδει, id est, specie: ita tamen, ut civitatis beatitudo sit splendidior, quia latius se extendit, quàm singulorum civium beatitudo: quemadmodum Aristoteles in lib. 1. Eth. cap. 2. ait: εἰ γὰρ καὶ ταυτόν ἔστιν ἀγαθὸν ἐνὶ καὶ πόλει: μείζον γὰρ καὶ τελειότερον τὸ τῆς πόλεως φαίνεται.

Cum autem duplex sit vita, vna Theorica seu Philosophica: altera Practica seu Politica: vtra est præstantior?

Ἀλλὰ τῆς
τῆς ἡδονῆς
ἐστὶν ἡ δεινὴ

Philosophi præferunt vitam Theoricam: propterea quòd sit quieta & tranquilla: libera nimirum à civilibus actionibus & negotijs: in quibus expediendis multa subeunda sunt cura & molestia, multi perferendi labores, incurrendum est in multorum offensiones & invidiam.

Politici præferunt vitam Practicam: propterea quòd in ea plurimæ se offerunt occasiones exercendarum actionū virtutis, in gubernatione Reip. & administratione civilium negotiorum: ut Prudentiæ in deliberationibus & Senatu: Iustitiæ in exercendis iudicijs,

indicijs, in distribuendis honoribus, præmijs & pœnis: Fortitudinis in defendenda patria, in administrando bello, in dicenda & exequenda sententia: Liberalitatis in sublevandis egenis: Magnificentia in faciendis publicis sumptibus, partim ad ornamentum & splendorem, partim etiam ad munitiones urbis pertinentibus. Ex quibus constat vitam politicam quodammodo materiam præbere ad actiones virtutum, in quibus beatitudo hominis secundum Aristotelem consistit.

Est verò etiam adhuc tertia opinio eorum scilicet, qui vitam bellicam & militarem extollunt, & cæteris vitæ generibus præferunt: propterea quòd per hoc vitæ genus possunt sibi dominium & imperium in alios etiam invitos acquirere. Quæ opinio non solum apud Barbaras nationes invaluit, cuiusmodi fuerunt olim Persæ, Scythæ, Thraces, Celtæ, Iberi, & similes alij populi: verum etiam à Lacedæmonijs & Cretensisibus fuit approbata: quorum disciplina, & maior pars legum, tota ad rem militarem, & amplificandos Imperij sui fines erat accommodata: quemadmodum etiam supra in lib. 2. cap. 6. & 7. ostensum fuit.

Καὶ τοὶ δὲ
ξείναι ἂν ἄ-
γαν ἄτο-
κοι

Quod est Aristotelis iudicium de his tribus opinionibus?

Aristoteles respondet per distinctionem: & affirmat duas priores opiniones, de vita Theorica & Practica,

Practica, esse ex parte veras, ex parte verò falsas. Tertiã verò opinionem reijcit, & negat eum civitatis statum esse optimum, in quo omnes leges, omniaq; instituta diriguntur ad herilem dominatum & ad Tyrannicam potentiam stabiliendam: quoniam eiusmodi dominium plerunq; est iniquum & iniustum. atq; hoc probat quinq; argumentis.

Quod est primum argumentum?

Quod iniquum est, & bonis legibus repugnat, in eo non potest esse optimus civitatis status, aut optima civium vita. Sed herili more velle omnibus tam liberis hominibus, quàm servis, tam invitis, quàm volentibus dominari: iniquum est, & bonis legibus repugnat. Ergò in eiusmodi dominio non potest esse optimus civitatis status, aut optima civium vita. Minor supra in primo libro fuit declarata: ubi dictum est, illud dominium solum esse iustum, quod exercetur in eos, qui natura sunt servi, & volentes se alijs subiecerunt.

Alterum argumentum?

Quemadmodum medicus non curat egrotum invitum & nolentem: neq; nauclerus navigantes invitos defert in aliam terram: ita magistratus politicus non debet velle herili more dominari invitis & nolentibus subditis.

Αλλὰ μὴ
ἔσθ' ἐν
ταῖς ἄλ-
λαις.

Υ

Α'Ν' εοί-
 ησιν οι
 πολλοί
 τω.

Tertium argumentum?

Quod quis iniquum esse iudicat, adversus se ipsum ab alio fieri, id ipsum quoq; debet existimare iniquum esse, adversus alium facere: iuxta vulgatum dictum: Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris. Sed unusquisq; iniquum esse iudicaret, si quispiam ipsi invito cuperet dominari. Ergo in vitium dominium est iniquum: & propterea in eo non consistit optimus civitatis status, aut optima civium vita.

Quartum argumentum?

Quod ordini naturae repugnat, id est iniustum. Sed liberis hominibus velle herili more, δεσποικως, dominari, repugnat ordini naturae: quia non sunt δεσποιοί, id est, apti ad ferendum tale dominium. Ergo tale dominium est iniustum. Confirmatur hoc argumentum ab exemplo simili. Quemadmodum non licet quaslibet bestias venando capere, sed tantum feras beluas, quarum usus aliquis esse potest vel in cibus, vel in sacrificijs, vel in alijs rebus: ita non licet indifferenter omnibus hominibus dominari: sed tantum ijs, qui naturâ ad tale dominium ferendum sunt idonei: veluti sunt servi.

Αλλα μω
 ειη γ' αυ
 ηθ' εου-
 τω.

Quintum argumentum?

Hoc argumentum habet ευσασιν. Si potest aliqua civitas esse beata, in qua magistratus non herili more

more

more dominatur suis subditis : sed tantum πολιτικῶς, id est, civili more : igitur dominium herile non est certum signum civitatis benè constitutæ. Sed antecedens est verum : Ergò etiam consequens est verum.

CAPVT III.

Quare ea vitæ conditio à multis iudicatur esse optima : per quam possunt pluribus dominari ?

Πρὸς δὲ τὰς ὁμο-λογητάς μὲν.

Quoniam in eiusmodi vita plurimæ offeruntur causæ & occasiones exercendarum actionum virtutis, in quibus civilis hominum beatitudo seu felicitas, secundum Aristotelis sententiam videtur esse posita : quemadmodum ex beatitudinis definitione, quæ in Ethicis traditur, licet videre.

Estne hæc opinio hominum vera ?

Ὅτι τὰ μὲν ἀμφοτέροι λέγουσιν.

Minimè : Quia non omne dominium seu imperium simpliciter est causa actionum virtutis : sed tantum illud quod est secundum naturam, & iustum.

Quomodo Aristoteles hoc probat ?

Duobus absurdis consequentibus. Primum enim, Si dominium in plures simpliciter præbet causam agendi ex virtute : igitur nulla occasio negligenda est, per quam tale dominium possit acquiri :

siquidem in actione virtutis consistit civilis hominum beatitudo: quæ est summum bonum, cuius gratia quævis alia sunt expetenda, suscipienda, & agenda. Quod, si verum est: igitur dominandi gratiâ nec pater filio, neq; filius patri, nec deniq; amicus amico parcere debet: & verum erit illud Iulij Cesaris dictum, quod ex Euripide est desumptum: ubi dicitur etiam, Ius, regnandi gratia, violandum esse. Hæc autem omnia sunt falsa: igitur etiam antecedens est falsum.

Quod est alterum absurdum?

Si pluribus dominari est indicium vitæ beatæ: igitur etiam beati dici possunt Tyranni, & homines mali ac improbi, qui violenter alios spoliarunt, & sibi subiecerunt: & per consequens, inter virum bonum, & revera propter virtutem beatum: & inter eiusmodi malum & improbum hominem, qui per vim dominium in alios iniuste acquisivit: nullum erit discrimen. quod est absurdum.

Quotuplex est igitur dominium seu imperium in alios?

Duplex: vel enim est iustum, vel iniustum.

Quod est iustum dominium?

Iustum dominium seu imperium est, quod est κατὰ τὴν φύσιν, secundum naturam: in quo is qui dominatur, cæteris omnibus, quibus imperat, tantum

tum

tum virtute, authoritate, & dignitate antecellit: quantum vir prestantior est foemina, pater liberis, dominus seruo.

Quare tale imperium dicitur justum?

Primum, quia iustitiae regula postulat, ut imparibus imparia tribuantur: cum autem talis sit ceteris dignitate impar: non potest pari cum illis loco haberi: itaque, equum est, ut ille imperet, reliqui vero pareant. Deinde, quia natura in omnibus rebus ita constitutum est, ut semper id quod imperfectius est, & minus prestans, cedat perfectiori & prestantiori.

Quod est iniustum imperium?

Iniustum dominium seu imperium est, quod est *ἄδικον τὴν φύσιν*, contra naturam: in quo is, qui dominatur, vel par & equalis est, vel etiam inferior iis quibus imperat. Nam si ceteris est par seu equalis, iniuste sibi soli imperium vendicat: Iustitia enim requirit, ut paribus & equalibus paria seu equalia tribuantur. Si vero est ceteris inferior, nullo iure ei imperium debetur.

Quae igitur requiruntur in eo, cui iure imperium debetur?

Duo, primum *ἡ ἀρετή*, virtus: maximè verò *ἡ σοφία*, prudentia, καὶ *ἡ δικαιοσύνη*, iustitia: sine quibus nullum imperium aut rectè administrari,

Δεῖ δὲ εἶ
μόνον ἀρε-
τὴν, ἀλ-
λά καὶ.

ant diuturnum esse potest. Deinde δύναμις θεωρητικὴ καὶ δεινότης, id est, facultas & dexteritas agendi & expediendi ea, quæ in administrandis publicis negotijs sunt necessaria.

Dixisti haftenus de vitæ Practicæ seu Politicæ beatitudine: sed quæ est vitæ Theoricæ seu Philosophicæ beatitudo?

Vitæ Theoricæ seu philosophicæ beatitudo consistit ἐν τῇ θεωρίᾳ, in contemplatione & cognitione rerum divinarum & cœlestium: quæ in se incun-
dam & veram habet voluptatem.

Ἄλλ' εἰ
πρῶτα λέ-
γεται κα-
θώς.

Obiectio. Atqui vulgus hominum existimat Philosophos, qui in contemplatione & cognitione rerum versantur, esse homines otiosos, & nihil agere: quomodo igitur illis potest competere beatitudo, quæ consistit in actione virtutis?

Solutio. Pro huius obiectio-
nis declaratione, notanda est hæc Actionum distinctio. Actiones sunt duplices: quædam extendunt suam vim & operationem in extremum aliquod obiectum: & nominantur hoc loco θεωρητικὴ καὶ ἐξωτερικὴ, actiones quæ in aliam rem pertinent, item actiones externæ: à Dialecticis θεωρητικὴ μεταβαίνουσα, transeuntes. Tales sunt actiones politicae: quia suscipiuntur propter civitatis & civium utilitatem. Quædam verò actiones suam vim

non

non exerunt in rem aliquam extraneam: sed intrà seipsos quasi vertuntur, & manent in ipso subiecto, in quo sunt excitata: vocantur hoc loco αὐτολεῖς, quia in seipsis habent suam perfectionem: à Dialecticis nominantur ἀεὶ εἰς ἐμμένουσαι: tales sunt αἱ θεωρίαι, καὶ διανοήσεις, contemplationes & meditationes mentis: sunt ὅ, longè præstantiores & perfectiores, quàm ille priores.

Quid ex jam dictis colligit Aristoteles?

Philosophos & homines literatos, quando in suis studijs & contemplationibus sunt occupati, non esse planè otiosos: sed etiam aliquid agere: eorum ὅ, actiones esse præstantiores actionibus politicorum: & habere quo ὅ, propriam suam & quidem præstantissimam beatitudinem.

Quibus argumentis hoc confirmat?

Quatuor. Primum sumitur à definitione Beatitudinis. Cui tribuitur Beatitudo, ei quo ὅ, tribui potest actio: nam Beatitudo est actio, ut dictum est in Ethicis. Sed vita Theorica tribuitur aliqua beatitudo: nam in Ethicis Beatitudo sic dividitur, quòd alia sit Practica, alia Theorica. Ergò in vita Theorica est etiam aliqua actio. Et per consequens: Philosophi, qui hanc vitam amplectuntur, non sunt homines otiosi, sed etiam dicuntur aliquid agere.

Υ 4

Αλλὰ μὲν
οὐδ' ἀ-
πεχλεῖν.

Alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ab exemplo simili earum civitatum, quæ licet ita procul ab alijs civitatibus sint remotæ, ut nulla possint cum illis habere commercia: tamen propterea non dicuntur esse otiosæ, & nihil agere: quia intra se, & inter suos cives mutua exercent officia & commercia. Ita quoq; Philosophorum contemplationes & meditationes sunt internæ quædam mentis actiones seu operationes.

Tertium argumentum?

Tertium argumentum etiam sumitur ab exemplo simili. Quemadmodum architecti & præfecti ædificiorum, aut aliorum operum, dicuntur aliquid egisse in extruendo ædificio, etiam si ipsi manus suas operi non admoverint: sed tantum ex sua arte consuluerunt & præceperunt, quid & quomodo aliquid sit faciendum: ita etiam Philosophorum contemplationes & meditationes possunt aliquo modo operationes & actiones mentis nominari.

Ἐπιλήψῃ
ἐν ὁ Θεός
ἔχει καὶ
λαῖσα

Quartum argumentum?

Quartum argumentum sumitur ab absurdo consequente: nam si tantum istæ actiones sunt nominandæ, quarum vis & motus se exerit in aliud obiectum, quod est extrâ agentem: igitur DEI & totius mundi nullæ essent actiones: & per consequens,

quens,

quens, DEI nulla esset beatitudo: quia beatitudo consistit in actione. Sed hæc sunt absurda. Ergo.

CAPVT IV.

Quæ sunt in constituenda civitate initiò tanquam fundamenta & materia civitatis consideranda?

Ἐπεὶ δὲ
πεφροσμί-
ασαι τὰ
νῦν.

Duo: primùm οἱ ἄνθρωποι, homines, qui debent civitatem inhabitare: deinde ἡ χώρα, regio, ager, sive locus, in quo civitas est extruenda. In eandem sententiam etiam suprâ lib. 2. cap. 4. δὲ τὸν νομοθέτην εἰς δύο βλέποντα πθέναι τὸς νόμους: πρὸς τε τὴν χώραν, καὶ τὸς ἀνθρώπους, hoc est, oportet legumlatorem in scribendis legibus ad duo respicere: ad regionem sive locum, & ad ipsos homines. Hæc autem duo Aristoteles per metaphoram nominat χρονηλίαν πολιτικὴν, id est, materiam & quasi supellectilem earum rerum, quæ ad civitatem & civilem societatem constituendam sunt necessaria.

Quæ sunt in utroque rursus consideranda?

Duo: primùm Quantitas, hoc est, quantus numerus debeat esse civium: & quàm magna sive ampla debeat esse civitas. Deinde Qualitas, hoc est, quales debeant esse homines, ex quibus civitatem constituere volumus: & qualis debeat esse regionis & loci natura & situs: neque enim in quo-

Y S

vis loco civitas extruenda est.

Οἰόντων
μὲν ἔν οἱ
ἐλάττω.

Quomodo æstimanda est magnitudo ci-
vitatatis?

Non ex numero & frequentia hominum: neque
ex amplitudine loci: sed ex ea facultate, per quam
possit optimè finem suum & scopum assequi: nempe
communem totius civitatis, & privatam singulo-
rum civium felicitatem seu beatitudinem.

Quibus argumentis Aristoteles hoc probat?

Tribus argumentis probat Aristoteles magnitu-
dinem civitatis æstimandam esse non ex multitu-
dine hominum, sed ex propria eius δυνάμει, id est,
facultate. Primum constat tali Sorite seu Syllogis-
mo composito: Magnitudo cuiusque rei æstimatur
ex eius perfectione. Nam ea demum magna sunt,
quæ sunt perfecta. Perfectio rei æstimatur ex pro-
prio eius munere: proprium cuiusque rei munus pro-
ficiscitur ex propria eius facultate & virtute. Er-
gò magnitudo civitatis æstimanda est secundum e-
ius propriam facultatem, per quam potest proprio
suo munere fungi.

Οὐ μὲν
ἀλλὰ καὶ
οἱ δεῖ κεί-
νῃ.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ab absurdo
consequente. Si magnitudo civitatis æstimanda est
ex sola multitudine et frequentia hominum: tum ea
civitas

civitas passet magna, & per consequens perfecta dici: in qua est magna copia inquilinorum, servorum, mercenariorum, sordidorum opificum, pauperum & mendicorum, & similium, qui revera ne quidem inter cives possunt numerari. Sed consequens falsum. Ergò sola πολυανθρωπία, non est verum signum, unde civitatis magnitudo est aestimanda.

Quod est tertium argumentum?

Ἀλλὰ μήν
καὶ τὸ γὰρ
ἐν τῶν ἰσ-
γῶν.

Quicquid impedit τὴν εὐνομίαν, καὶ εὐταξίαν τῆς πόλεως, ex eo non potest neq; debet magnitudo & perfectio civitatis aestimari. Sed nimia hominum multitudo impedit τὴν εὐνομίαν καὶ εὐταξίαν τῆς πόλεως. Ergò. Minor probatur ἀπὸ τῆ ἀδυναμίας: Nam impossibile est nimiam multitudinem rectè bonis legibus coercere, & in officio continere: sed hoc est solius divinae potentiae munus: quae totam hanc universitatem optimo ordine rexit: humana autem vis, quantumvis sit magna, hoc praestare non potest. Deinde ab exemplo earum civitatum, quae tum maxime interierunt, quando coepit civium & inhabitantium numerus nimium augeri & crescere: veluti fuerunt Athenae, Thebae, Sparta, & aliae Graeciae urbes. Tertio à legum natura: nam ὁ νόμος ὅτι τάξις, & ἡ εὐνομία ὅτιν εὐταξία: nimia autem turba parit ἀταξίαν, id est, confusionem: quae aduersatur bonis legibus & ordini.

Quæ

Α'λλ' ἐστὶ
καὶ πόλεσι
μεγέθους
μέτρον.

Quæ est igitur iusta magnitudo civitatis?

Iusta & vera magnitudo civitatis ea est, quæ est mediocris & moderata, ita ut civibus non sit impedimento ad bene beateq; vivendum, hoc est, ad exercendas virtutum actiones inter se mutuò: qua in re præcipuò politica civitatis felicitas et beatitudo consistit. Probatur hoc per inductionem, exemplis rerum naturalium & artificialium: quæ cum à iusta sua magnitudine recesserunt, tam in hanc, quam in alteram partem, non possunt amplius commodè suo officio, ad quod factæ sunt, fungi.

Διὸ πρῶ-
την μὲν εἶ-
θαι πόλιν.

Quæ sunt veræ notæ, secundum quas iusta magnitudo civitatis est æstimanda?

Duæ: Una est αὐτάρκεια τοῦ ἐν ζῆν, sufficiens rerum necessariorum ad vitam commodè degendam copia. Nam propter hanc præcipuè causam civitates initio fuerunt constitutæ: quemadmodum supra lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. dictum fuit. Altera nota est, ἡ εὐσυνουσία, καὶ εὐγνωσία πρὸς ἀλλήλους, facilis civium inter se mutua noticia & conspectus: quod in nimis magna hominum multitudine & ampla civitate difficulter fieri potest.

Ad quid prodest inter cives esse mutuam
noticiam?

*Huius rei multæ & magnæ sunt utilitates: Ari-
storeles*

stoteles verò hoc loco tres precipuas videtur indica-
re: quarum prima est, vt cives facilius possint inter
se contrahere, & mutuis officijs colere amicitiam.
Altera, vt ij, qui in magistratu sunt, rectius possint
subditis suis imperare, eorumq; causas cognoscere,
& controversias dijudicare ac componere. Subditi
verò minus possint errare in eligendis magistrati-
bus. Tertia, ne peregrini possint irrepere in magi-
stratum, & ad publicorum officiorum administra-
tionem adhiberi.

CAPVT V.

Circa locum in quo civitas extruenda est,
quæ sunt consideranda?

Περὶ μὲν
τῶν τοι-
ων τινὰ δη-
λονότι

Duo: primum, ipse ager circa civitatem: dein-
de, situs loci. Quod ad agrum attinet, etiam duo
sunt spectanda: Qualitas, hoc est, bonitas & ferti-
litas agri: & Quantitas, id est, magnitudo seu am-
plitudo agri.

De qualitate quid præcipitur?

Ea consideranda est partim quo ad ipsos cives &
incolas: partim quo ad externos & hostes. Quo ad
cives, debet ager esse ἀυταρκήςατος, id est, maxi-
mè sufficiens ad suppeditandum omnia ea, quæ ad
vitam commode degendam sunt necessaria: ita vt
non opus sit ea aliunde quærere & importare: & vt
ipse

ipse Aristoteles se explicat, ut sit παντοφάγος, id est, ita fertilis, ut possit omnia ad victum necessaria suppeditare. Quod verò ad hostes attinet, debet ager sive locus ille hostibus esse δυσέμβολος, difficilis ad incursiones: ipsis verò civibus εύέξοδος, facilis ad excursiones.

De quantitate agri quid præcipitur?

Duo hinc sunt observanda. Primum, ut tantus sit ager, unde ipsi cives possint in ocio & pace non solum temperanter, verum etiam liberaliter vivere, hoc est, ut non solum pro seipsis habeant necessaria: sed etiam possint de suis bonis exteris aut vicinis communicare. Deinde, ut ager ita sit εύόνοπλος, id est, in conspectu civitatis positus: ut si opus sit, cives facile possint eum propter urbis vicinitatem ab incursionibus et vastationibus hostium tueri ac defendere.

Quis situs maximè conveniens est civitati?

Optimus situs civitatis est, qui est communis & terre & mari: hoc est, si non nimis vicina est mari aut magno flumini, neque etiam nimium ab eo remota: ita ut cives & terra & mari commode uti possint, ad comparanda ea quæ ipsis sunt necessaria: primum quo ad victualia, ut ea ex vicinis locis & regionibus, facile possint ad eam vel navibus, vel curribus aut iumentis adferri. Deinde quo ad auxilia bellica: ut ea facile possint à socijs aliunde &

terra

Τῆς δὲ πό-
λεως τὴν
θέσιν εἰ
ἔσῃ.

terrâ & mari transmitti & adduci. Tertio, quo ad exercenda commercia cum vicinis civitatibus & regionibus, in advehendis & importandis ijs rebus, quibus cives egent: & exportandis ijs, quibus abundant: veluti sunt frumenta, vina, fructus, ligna, & plurima alia, quorum in vita quotidiana maximus est usus. Et hoc est, quod Aristoteles ait, civitatem debere ita sitam esse, ut sit εὐβοήθητος & εὐπαρεγκόμιστος.

CAPVT VI.

Est ne vicinitas Maris civitati utilis?

Aristoteles hanc questionem in utramq; partem, affirmando & negando disputat.

Quare igitur existimat civitati non utilem esse Maris vicinitatem?

Propter multa incommoda, quæ indè civitatibus possunt accidere. Precipuum autem est, quòd per hanc occasionem, beneficio navigationis, multi exteri & peregrini homines solent in civitatem ex varijs locis confluere: per quos etiam simul introducuntur novi, peregrini, & mali mores: quibus ipsi cives facile tanquam contagio aliquo inficiuntur & corrumpuntur: impeditur & labefactatur bona disciplina: imminuitur veterum legum authoritas: substituuntur novæ leges: undè necesse est tandem infinita mala & incommoda consequi. Propter quam causam etiam Strabo in libro septimo affirmat Platonem τὴν θάλατταν πονηροδιδάσκαλον, i. e.

Mare

Περὶ δὲ
τῆς πρὸς
τὴν θάλασσαν
κοινῆς
νείας.

Mare magistrum scelerum nominasse. Et Lacedaemonij olim, teste Xenephonte, sanxerunt ξενηλασίαν, peregrinorum expulsionem, ne cives ab illis corrumparentur. Adfert igitur vicinitas maris haec duo incommoda: πολυανδροπίαν, id est, colluviem & turbam multorum & variorum hominum: & κακοήθειαν, morum & disciplina corruptionem.

Ἐπὶ μὲν δὲ
εἰ τιῦτε
μὴ συμ-
βαίνει.

Sed habet ne vicinitas maris etiam quaedam commoda pro civitatibus?

Ex vicinitate maris etiam multa possunt civitati contingere commoda: ex quibus duo praecipue Aristoteles commemorat. Primum pertinet πρὸς τὴν ἀσφάλειαν τῆς πόλεως, ad securitatem urbis tempore belli, adversus hostium vel incursionem impediendam, vel obsidionem repellendam: item in adducendis militibus praesidiarijs, & advehendo atq; importando comitatu. Alterum commodum pertinet πρὸς τὴν εὐπορίαν τῶν ἀναγκαίων, ad comparandam copiam eorum, quibus in vita quotidiana indigemus, hoc est, ad exercendam mercaturam, & negotiationē: qua fit vel per commutationem, vel per emptionem & venditionem rerum necessariarum: ut civitas habeat ἀυτάρκειαν πρὸς τὸ εὖ ζῆν.

Ἐπεὶ δὲ
νῦν ὁρῶμεν
πολλὰ αἴτι-
α.

Sed quo pacto praecavendum est, ne in civitatibus maritimis peregrinorum conversationes & commercia civibus noceant?

Aristoteles monet peregrinis mercatoribus, qui
negocian-

negociandi, & commerciorum gratia, aliunde in civitatem veniunt: proprium quendam & separatum à reliquorum civium aedibus locum Emporiy seu fori extruendum & designandum esse: ubi sua cum civibus possint exercere commercia: ne ipsis necessarium sit propterea in urbe inter cives habitare aut versari.

Est ne civitatibus maritimis necessaria navalis quaedam potentia?

Περὶ δὲ
τῆς ναυτι-
κῆς δυναμί-
μωσ.

Maximè. Sed ea non debet esse nimis magna, alioquin enim per eam civitas repletur multis hominibus. Monet igitur Aristoteles eam estimandam esse ἐκ τοῦ βίου τῆς πόλεως, ex vita civitatis, hoc est, ex scopo & instituto Reipublicæ. Nam si civitas seu Reipublica administratio hoc sibi habet propositum, quòd velit imperium & fines imperiy amplificare, atq; alijs vicinis populis & civitatibus dominari, tùm necesse est, ut etiam habeat tantam vim & potentiam, per quam possit istud efficere, hoc est, dominatum illum sibi comparare & retinere. Si verò cupit pari iure cum alijs vicinis vivere, & suis se finibus continere: tùm non necessaria ei sunt magna navales copiae.

Z

Explicasti de loco & regione constituendæ civi-
tatis : Responde jam de hominibus, quales
esse debeant, ex quibus optima
Respub. possit constitui ?

Ποίως δὲ
πινὰς τὴν
φύσιν εἶ-
ναι δεῖ.

Pro huius questionis explicatione Aristoteles
talem distinctionem seu differentiam hominū
facit. Nam quod ad civilem societatem attinet,
tria sese offerunt hominum genera. Quidam enim
sunt ἀπολίτευτοι, id est, expertes civilis societatis:
qui propter ingenij & intellectus stupiditatem, ac
morum ferociam, neq; ipsi alijs rectè imperare: neq;
aliorum imperium facile ferre possunt. Quidam
verò sunt δαλικοί, servili ingenio præditi: qui pro-
pter innatam timiditatem, mollitiem & ignavi-
am, solūm ad serviendum alijs sunt idonei. Quidam
deniq; sunt πολιτικοί, hoc est, apti ad colendam ci-
vilem societatem: qui & imperare alijs, & impe-
rata facere possunt: prout tempus, res, & necessitas
postulant.

Quot requiruntur in ijs hominibus, qui ad civi-
lem societatem colendam sunt idonei ?

Φανερόν
τοίνω ὅτι
δεῖ διανοη-
τικὴς τε
εἶναι.

Duo: primūm ἡ δianoia, id est, vis & facultas
intelligendi ea, quæ in civili administratione non
solūm præcipienda, verūm etiam peragenda sunt:
vocatur hæc ab Aristotele in 6. lib. Ethic. φρόνησις
πολιτικὴ, civilis prudentia.

Deinde.

Deinde, ὁ θυμὸς, animositas, seu animi vis & magnitudo ad res magnas & arduas suscipiendas & gerendas. Nam qui timidi sunt, & molli atq; effœminato animo præditi: hi inepti sunt ad gubernationem: quia non audent res magnas aggredi: aut irasci & pœnas infligere ijs, quibus propter scelera iuste est irascendum: unde Aristoteles in hoc loco inquit: ὁ θυμὸς ὅτιν ἀρχικόν τι, καὶ ἀντίστον: Animositas est vis quædam ad imperandum apta, quæ non patitur se vinci. Et Plato in lib. 2. de Republica, τὸς φύλακας, custodes, hoc est, magistratus civitatis comparat canibus: qui ergà domesticos sunt φιληλίκοι, blandi: ergà exteros verò ἀγριοί, feroces & asperi: ita etiam boni magistratus debent esse ergà bonos cives benevoli & amici: ergà malos verò & improbos, duri & severi.

CAPVT VIII.

Sunt ne omnia, quæ ad perfectam civitatis constitutionem requiruntur, etiam partes civitatis nominanda?

N Equaquam. Probaturs duplici ratione. Una sumitur ab exemplo simili rerum naturalium: in quibus non omnia sunt partes totius, sine quibus totum perfectum esse non potest: ut animal non potest esse sine nutrimento: & tamen nutrimen-

Εν γάρ τι
 τὸ κοινὸν
 εἶναι δεῖ.

tum non dicitur esse pars animalis. Altera sumitur à natura totius & partium substantialium. Quæ sunt partes substantiales alicuius totius, ea debent habere unum aliquod & idem, in quo equaliter cum toto communicant. Sed multa requiruntur ad perfectam civitatis constitutionem, quæ tamen non habent unum aliquod & idem, in quo equaliter cum toto communicant. Ergò non omnia ea, quæ ad perfectam civitatis constitutionem pertinent, sunt partes civitatis. Minor declaratur ab Aristotele per distributionem & exempla: quoniam quedam ex illis habent rationem finis, sunt ἔξ-
 vera: quedam verò sunt propter finem, τὰς ἔξ-
 vera: ut ἢ αὐτὰρ κεία, vel ἢ εὐδαιμονία sunt finis civitatis: possessiones verò, opes & facultates, sunt propter finem: neq; tamen sunt partes civitatis.

Potestne civitas aliqua perfectè constitui ex eiusmodi civibus, qui omnes sunt eiusdem vitæ conditionis?

Aristoteles in lib. 5. Eth. cap. 5. ait: Civitatem non constare ex solis medicis: sed ex medico & agricola. Quibus verbis voluit indicare, Civitatem perfectam non ex uno solùm, sed ex varijs hominum generibus, qui diversa sunt conditionis, quod ad vitæ rationem attinet, constare.

Quæ

Quæ sunt autem præcipuæ differentia hominum,
ex quibus civitas constat?

Differentia illa cognoscuntur ex diversitate rerum, quibus civitas indiget, πρὸς τὴν αὐτάρκειαν, hoc est, ut habeat sufficientem copiam rerum ad vitam commodè degendam necessariarum.

Quæ sunt illæ res, quibus civitas ipsiq; cives maximè opus habent?

Ἐπισκε-
πλέον δὲ καὶ
πόσα ταῦτα
τῆσιν.

Aristoteles in hoc capite enumerat sex earum species: veluti sunt, primum ἡ τροφή, alimentum seu cibus, hoc est, omnia ea, quæ ad victum pertinent. Deinde αἱ τέχναι, varia artes, per quas efficiuntur omnia ea, quæ vel ad cultum corporis, vel ad quotidianum usum pertinent: veluti sunt vestimenta, suppellectilia, utensilia, & omnis generis instrumenta, quibus in operibus efficiendis utimur. Tertio, τὰ ὄπλα, arma: quibus civitas instructa esse debet, partim adversus externos hostes, partim ad coercendos homines seditiosos. Quarto, τὰ χήματα, pecunia, & reliquæ opes & facultates: quarum beneficio res necessariae possunt comparari. Quinto ἡ ὀπιμέλεια πρὸς τὸ θεῖον, religio & cultus divinus. Sexto, ἡ κρίσις πρὸς τῶν συμφερόντων, καὶ δικαίων, iudicium de rebus utilibus & iustis inter ipsos cives.

Πρώτον
μὲν ἐν ἑ-
πίχειν
δὲι ἑξο-
φω.

Ex hac enumeratione quot Aristoteles colligit ordines civium, qui ad constituendam civitatem sunt necessarij?

Sex.

Qui sunt illi sex ordines civium?

Primum necessarij sunt in civitate Agricola & pastores: qui ex cultura agrorum & pastura pecorum, victum & alimenta civibus suppeditant. Deinde Opifices & tabernarij, qui omnis generis opera, quorum in civili & quotidiana vita usus necessarius est, vel ipsi efficiunt, vel alijs vendunt: ut sunt vestimenta, edificia, suppellectilia, vasa, instrumenta, & infinita alia, quæ vel ad necessitatem, vel ad maiorem commoditatem, vel deniq; ad ornatum & splendorem civitatis pertinent. Tertio sunt milites, qui civitatem custodiunt & defendunt contra hostes: ut cives possint tuto & quietè suis laboribus et negotijs perficiendis vacare. Quarto sunt divites, qui tempore necessario possunt civitati sumptus necessarios subministrare, vel in gerendo bello, vel in sublevanda annonæ caritate, vel in publicis munitionibus & edificijs extruendis. Quinto sunt sacerdotes & homines religiosi, qui ea quæ ad divinum cultum pertinent, ritè administrant. Sexto sunt magistratus, senatores & iudices: quibus publicorum negotiorum administrandorum cura commissa est.

C A P V T

CAPVT IX.

Sunt ne omnes hi sex ordines, quos commemorasti, pro veris civibus habendi?

Ἐπεὶ δὲ
τυχεῖν
μὲν σκο-
πεῖται.

Agricolae & sordidos opifices, non posse inter veros cives numerari, Aristoteles duobus argumentis probat. Quorum unum sumitur à definitione civis: quæ supra in lib. 3. cap. 1. fuit posita: Civis propriè is esse dicitur, qui particeps est publicorum honorum in gerendo magistratu & exercendis iudicijs. Sed agricola & opifices non sunt particeps magistratus & iudiciorum: quia perpetuò occupati sunt in laboribus pro acquirendo victu: ita ut illis non sit ocium ad civilia negotia obeunda: Ergo non possunt pro veris civibus haberi.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur à fine civitatis. Omnis verus civis potest esse particeps eius finis, quem civitas sibi habet propositum, nempe beatitudinem politicam. Sed agricola & opifices non possunt esse particeps politicae beatitudinis. Ergo non possunt esse veri cives. Minor probatur. Politica beatitudo consistit in actionibus virtutum, ad quas rectè obeundas requiritur ocium & vacatio à reliquis laboribus. At qui agricolis & opificibus non est eiusmodi ocium & vacatio à reliquis laboribus. sunt

Z 4

enim perpetuo occupati in acquirendo victu & sordido questu. Ergo non possunt esse capaces politicæ beatitudinis.

Φανερόν
ἐκ τούτων
ὡς ἐν τῇ
ἡγεμονίᾳ

Qui igitur ex commemoratis ordinibus possunt pro veris civibus haberi?

In civitate pro veris civibus habendi sunt ij, quorum vita conditio talis est, ut illis propter certas virtutes, quibus præditi esse debent, possint publica officia committi. Veluti sunt milites, qui sunt custodes et propugnatores urbis: in quibus præcipuè requiritur Fortitudo. Item senatores & iudices, in quibus requiritur Prudentia & Iustitia. Item sacerdotes, qui ea quæ ad religionem & cultum divinum pertinent, debent procurare: in quibus requiritur Pietas & Temperantia. Deniq; homines divites & locupletes: qui Rempub. debent invare pecunia in publicis ædificijs & munitionibus extruendis: in quibus requiritur Liberalitas & Magnificentia.

Excluduntur ne simpliciter omnes agricolæ è numero civium?

Minimè: sed tantum ij, qui non proprios habent agros, & propter paupertatem coguntur alienos agros pro mercede, ad acquirendum quotidianum victum, colere. Alioquin agriculturalium vita atq; conditio semper honestissima fuit habita: quorum multi præter agrorum culturam etiã virtutem excoluerunt,

excoluerunt, & civilibus officijs & honoribus adhibiti fuerunt. Exemplo esse potest Serranus ille, quem olim Romani ab aratro ad consulatum vocarunt. Et priscis temporibus, cum bonum virum vellent laudare, nominarunt eum bonum agricolam, bonumque colonum.

Possunt ne publica ista officia in civitate iisdem, au verò diversis civibus committi?

Ἐπεὶ δὲ ἔ
τὸ πολέ-
μικόν.

Vtrum quod fieri potest, pro ratione circumstantiarum: nimirum ut interdum iisdem, interdum verò diversis personis ista officia demandentur. Nam quia actiones bellicae requirunt robur & vires corporis: aetas autem iuvenilis habet adhuc integras vires: ideò etiam bellicae actiones rectè illis demandantur. Eodem modo, quia ad rectè consultandum & indicandum requiritur prudentia, & rerum usus: quae non nisi longo tempore possunt comparari: ideò etiam senioribus haec partes sunt demandanda. Denique, quoniam equum est, ut ijs, qui publicis curis & laboribus iam propter longam aetatem quodammodo exhausti sunt, etiam requies aliqua & otium concedatur, ut possint contemplationi vacare, & se ad extremum actum, id est mortem preparare: ideò talibus optimè commendari poterit religionis cura, & cultus divini administratio.

Z 5

Quomodo Aristoteles hanc officiorum distributionem confirmat?

Primum à proprio Iustitiæ distributivæ, quæ iubet unicuiq; τὸ κατ' ἀξίαν διανεμεῖν, hoc est, id tribuere quo dignus est: & ad quod agendum & efficiendum maximè à natura videtur aptus esse. Atque huic distributioni etiam consentit antiquus versus apud Græcos: in quo dicitur: ἔργα νέων, βελάϊ τε μέσων, εὐχαί τε γέροντων, hoc est, Labores imponendi sunt iunioribus: ad consultationes adhibendi sunt ij, qui sunt in media etate: preces permittenda sunt senioribus.

Deindè ab exemplo Sesostris, regis Ægyptiorum: Minois, regis Cretensium: Itali, regis Oenotriæ: quæ postea ab eius nomine, Italia fuit nuncupata: item aliorum antiquissimorum populorum, apud quos vestigia eiusmodi distributionis fuerunt reperta.

Ἀλλὰ μὴν
καὶ τοὺς κλη-
ρονοῦσι.

Sed undè habebunt isti tres ordines civium sua alimenta, & alia vitæ necessaria: si debent semper publica negotia civitatis administrare?

Monet Aristoteles inter tales distribuendos esse publicos civitatis agros: non ut ipsi eos suis manibus colant: sed ut eorum cultura fiat vel per servos aut mercenarios: vel per vicinos pauperes rusticos: ipsi autem sint eorum domini, & fructus ex illis percipiant.

Ex

Ex quo ordine hominum deligendi sunt ij, per quos ea, quæ ad divinum cultum pertinent, sunt administranda?

Λοιπὸν δὲ ἐκ τῶν κρη-
ταριθμη-
θέντων.

Ex ijs civibus, quibus aliquando administratio Reipub. aut custodia urbis fuerat commissa: quando nimirum propter senectutem, non ampliùs publicis istis muneribus commodè fungi possunt.

Sed cur non etiam ex senioribus agricolis aut opificibus tales sunt deligendi?

Quia tales non numerantur inter veros cives, quemadmodum suprà dictum fuit: atq; ideò etiam non sunt revera partes civitatis. At qui cultus divinus debet administrari per eos, qui sunt revera cives, & pars civitatis.

CAPVT X.

Post distributionem civium, quid deinceps Politico considerandum?

Περὶ δὲ τῆς ἀγο-
νομῆς, καὶ τῶν γεωργ-
γόντων τῶ-
νας.

Considerandum etiam est politico in constituenda civitate, quo pacto agri civitati adiacentes sint inter cives distribuendi: prætereà per quos agri illi sint colendi.

Quare Politico etiam de agrorum distributione est considerandum?

Propter quinque causas: primùm, ut singuli cives habeant propria bona, & proprias possessiones: siquidem communio bonorum, quam Plato in suam Rempub. conatus fuit introducere, est absurda: quere-

quemadmodum supra in secundo libro fuit ostensum.

Quæ est altera causa?

Altera causa est, quia cives assuefaciendi & legibus excitandi sunt, ad exercendam erga alios liberalitatem & beneficentiam: ideo necesse est, ut habeant propria bona, de quibus alijs possint benefacere. Nam qui de alienis bonis alicui benefacit: is propriè non dicitur liberalis.

Quæ est tertia causa?

Tertia causa est, quia boni politici & legumlatoris officium est, in constituenda civitate cavere, ne aliqui ex civibus nimium abundant: aliqui verò nimium egeant: ad hoc autem præcavendum, diligenter considerandum est, quæ ratione agri ita distribuantur, ut tam universæ civitati, quàm singulis civibus rectè sit prospectum.

Quæ est quarta causa?

Περὶ συσ-
στίων τε
συνδοχεί.

Quarta causa sumitur à consuetudine Syssitiorum. Si civitas debet de suis publicis sumptibus, & singuli cives de suis proprijs bonis aliquid ad συστίνα, id est, publica convivium celebranda contribuere: ergò oportet agros hoc modo distribuere, ut alij sint communes totius civitatis, alij verò proprij singulorum civium.

Quæ

Quæ est quinta causa?

Quinta causa priori est similis, sumpta à cultu divino. Si cultus divinus peragi debet totius civitatis nomine, ita ut communiter ad omnes cives pertineat: ergò oportet etiam certos quosdam agros ad eam rem esse designatos: ex quorum proventibus sumptus illi possint colligi.

Quo pacto sunt agri distribuendi inter cives?

Quoniam agri ad civitatem pertinentes, alij sunt vicini, alij verò remoti ab urbe: ideò ut iusta & equalis fiat distributio, singulis civibus de utrisque agris pars aliqua est assignanda: ne aliqui solum habeant propinquos urbi, alij verò solum remotos ab urbe.

Αἰαυκαὶ
ὅτι τοίνυν
εἰς δύο μέ-
ρη διηγεῖ-
ται.

Quæ est utilitas eiusmodi distributionis?

Duplex. Prima est, quòd talis distributio consentanea est iustitia: quæ iubet, ut ad declinandam invidiam, quando inter aequales aliquid distribuendum est, etiam servetur equalitas secundum proportionem Arithmeticam. Deinde, quia utilis est huiusmodi distributio in deliberationibus tempore belli: ut sententiæ civium sint magis liberae: eò quòd omnium civium agris æquale periculum metuendum sit ab hostium incursionibus, vastationibus, & direptionibus: quibus remotiores agri ma-
gis

gis expositi sunt, quàm propinquiores.

Τὲς δὲ γε-
ωργήσυν-
ταις μέλι-
σαι μὲν.

Quibus autem committenda est agrorum tam
communium, quàm privatorum cultura?

Cultura agrorum primùm committenda est
servis: quoniam enim hi sunt in potestate suorum
dominorum, non audebunt hos labores detrectare.
Sed cavendum est, ne omnes sint eiusdem nationis,
aut animosi & audaces: ne forte possint inter se ad-
versus suos dominos conspirare. Deinde, si servi ha-
beri non possunt, conducendi sunt homines barbari
& agrestes ex vicinis locis: qui ad nullum aliud vi-
tae genus videntur à natura esse facti, quàm ad e-
iusmodi labores & servilia officia prestanda.

CAPVT XI.

Ἀὐτῆς δὲ
πρὸς αὐ-
τὴν εἶναι
τὴν θέσιν.

Quid præterea homini politico in extruenda &
constituenda civitate est considerandum?

Situs loci in quo civitatem constituere cupit.
Plurimum enim confert ad felicitatem civita-
tis: singulorumq; civium commoditas, & opportu-
nitas loci, in quo ipsa civitas est extructa.

Quot modis consideratur situs civitatis?

Situs civitatis bifariam consideratur: vel πρὸς
τὴν χώραν, id est, respectu regionis, hoc est, quatuor
plagarum mundi: utrum ad Orientem vel Occi-
dentem: ad Meridiem vel Septentrionem sita sit:
vel

vel consideratur πρὸς ἑαυτὴν, quoad se ipsam & suas partes, hoc est, ipsos cives & inhabitatores, eorumq; commoditatem attinet.

Quid circa τὴν χώρην considerandum est?

Quod ad situm civitatis, respectu regionis attinet, supra in 5. cap. Aristoteles dixit: Eum situm civitatis optimum & commodissimum esse, qui est communis terra & mari: ut & pacis & bello tempore, necessaria victualia & auxilia, ad eam transmitti & deferri possint: atq; hoc modo sit, quemadmodum dixit, εὐβοήθης καὶ εὐπαρεχόμενος.

Quæ sunt circa situm civitatis, quoad seipsam attinet, consideranda?

In situ civitatis, quo ad se ipsam, quatuor sunt spectanda. Primum, salubritas aëris: ea enim plurimum conducit ad valetudinem & sanitatem eorum qui civitatem inhabitant. Atq; hanc ob causam commendantur eæ urbes, quæ versus Orientem & Septentrionem sitæ sunt: quoniam venti qui ex illis locis spirant, propter puritatem & siccitatem habentur salubriores: quàm qui spirant à Meridie & Occidente: qui propter crassitiem & humiditatem minus sunt salubres.

Quod est alterum?

Deinde, consideranda est commoditas & opportunitas loci, tam quoad civilia, quàm domestica & quotidiana negotia expedienda. Nam in civitatibus,

Πρῶτον
μὲν, οἷς ἀ-
ναγκαῖον
πρὸς ὑγι-
ειαν.

tatibus, quæ in montosis & asperis locis extructæ sunt, longè maiore labore & difficultate talia negotia expediuntur, propter ascensum & descensum collium: quàm in ijs quæ in planicie sitæ sunt.

Quod est tertium?

Τῶν ἰσοπέδων, πρὸς τὰ πρὸς πόλιν ἀποκλίσεις.

Tertiò, consideranda etiam est commoditas loci, quo ad bellum vel gerendum & inferendum hostibus: vel ad propulsandum ab urbe & civibus. Itaq; curandum est, ut civitas in eiusmodi loco extruatur, qui sit civibus quidem ἐυέξοδος, id est, facilis quo ad egressum, hostibus verò δυσπρόσοδος, id est, accessu difficilis: & δυσπερίληπτος, καὶ δυσέμβολος, difficilis ad invadendum & obsidendum.

Quod est quartum?

Quartò, curandum quoq; est, ut civitas in eiusmodi loco extruatur, in quo est aquarum & fluminum copia: quæ non possit ab hostibus intercludi aut averti.

Ἐπεὶ δὲ δεῖ περὶ ὑγιείας.

Sed quare etiam de his rebus politico in constituenda civitate considerandum est?

Quia aëris, ventorum, & aquarum salubritas plurimum conferunt ad valetudinem & sanitatem civium: cuius certè in vita maxima ratio est habenda: etenim absq; sanitate vita nostra non solum est inutilis ad actiones honestas & civiles rectè ob-
eundas:

eundas: verum etiam est molesta & misera. Et sanè nulla ferme re minus, vel etiam ad exiguum temporis momentum carere possumus, quàm aëre & aqua, id est, humore: quibus sublatis, necesse est hominem et quodvis animal suffocari atq; interire.

Quæ præterea circa situm civitatis sunt consideranda?

Ἡ δὲ τῶν
ιδίων οἰ-
κίσεων
διάθεσις.

Aristoteles adhuc duo proponit alia, quæ in extruenda civitate sunt politico consideranda. Vnum est de ædificiorum tam privatorum, quàm publicorum dispositione. Alterum est de munitionibus civitatis.

Quotuplex proponitur ab Aristotele ratio disponendorum ædificiorum in civitate?

Triples est ratio disponendorum ædificiorum in civitatibus: una antiqua, altera recens, tertia ex utrisq; mixta.

Antiqua ædium dispositio fuit, in qua domus non certo ordine, sed confuse hinc inde, pro ut cuiq; placebat, extruebantur: ita ut nullos certos & directos vicos seu plateas constituerent: sed ædes vario modo per civitatem essent dispersæ, instar cuiusdam Labyrinthi: ex quo non facile poterant peregrini effugere, si fortè alicui ex civibus iniuriam aut damnum intulissent.

Quæ fuit recens domorum dispositio?

Recens disponendarum ædium in civitate à quo-

Αα

dam Hippodamo Milesio inventa fuisse dicitur: qua edes ordine secundum rectam lineam extruebantur, & disponebantur: adeo ut rectas & pervias plateas in civitate efficerent: quæ ratio non solum utilis est ad negotia tam privata, quam publica, commodius in civitate expedienda: verum etiam facit ad ornatum & elegantiam civitatis.

Καὶ τὴν
μὲν ὅλην
μὴ ποιεῖν
πόλιν.

Quæ fuit tertia ratio disponendarum ædium?

Tertiam hanc rationem Aristoteles ait mixtam esse ex duabus præcedentibus: si nimirum in ingressu & extremitatibus urbis, domus perturbato, in media verò urbe, directo ordine collocentur. Hanc dispositionem existimat utilem esse, partim ὡς τὴν ἀσφάλειαν, partim etiam ὡς τὸν κόσμον, hoc est, ad securitatem & ad ornatum civitatis. Nam ædibus ad hunc modum dispositis, peregrini & exteri non poterunt subito per rectam viam in mediam urbem irrumperere: & civilia negotia commodius à civibus poterunt expediri.

Quid de munitionibus civitatis præcipit?

Quod ad munitiones civitatis attinet, monet Aristoteles non omnibus civitatibus easdem munitiones convenire: sed eas accommodandas esse formis Rerumpub. Nam in Monarchiis & Oligarchiis utiles sunt αἱ ἀκροπόλεις, hoc est, arces, & excelsæ turres: è quibus ἢ, penes quos est gubernatio, non

tio, non solum possint omnia, quae in civitate fiunt
& geruntur, prospicere, sed etiam se facilius contra
subditorum & seditiosorum civium insidias atque
impetum tueri, eosque in officio & metu coercere:
quemadmodum Lucretius scribit:

Condere caeperunt urbes, arcesque locare:

Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque.

In Aristocratys, hoc est, in optimatum gubernatio-
ne, utile est habere multa in civitate loca: quae vel
natura, vel arte sunt munita: in quibus ipsi opti-
mates, quibus civitatis administratio commissa
est, possint esse tuti, contra malorum & improbo-
rum civium vim & conspirationes.

In Democratys utilis est planicies & aequabili-
tas locorum: ut populus eo facilius & frequentius
possit convenire, & sua comitia celebrare: quoties
de negotijs, ad universam civitatem pertinentibus,
est consultandum.

Est ne civitas mœnibus cingenda &
munienda?

Περὶ δὲ
τειχῶν οὐ
μὴ φάσκει
ἔχει.

De hac quaestione olim diverse politicorum ho-
minum fuerunt opiniones: sicut videre licet apud
Platonem in lib. 6. de Repub. Nam Lacedaemonij
existimarunt mœnia & propugnacula non esse ne-
cessaria ei civitati, in qua omnes cives pariter vir-
tuti, praecipue verò fortitudini studerent: tales
enim seipso & sua corpora, murorum loco hostibus

obycere: & sua virtute hostes repellere: imò eiusmodi munitiones & propugnacula reddere cives aut securos & negligentes: aut ignavos & effœminatos.

Quæ est autem Aristotelis de hac quaestione sententia?

Aristoteles sex argumentis probat civitatem esse mœnibus, fossis, & aggeribus seu vallis, & alijs propugnaculis muniendam. Primum sumitur à contrario exemplo & factò ipsorum Lacedæmoniorum: qui licet hoc ipso nomine vellent videri cæteris Grecis esse fortiores & animosiores, quòd non confiderent talibus externis munitionibus: sed potiùs suâ virtute atq; fortitudine niterentur, suisq; corporibus sese hostibus opponerent: tamen in bello, quod Pyrrhus contrà eos movit, ne hostis posset absque impedimento in eos irruere, subito fossam & aggerem eduxerunt, ad eam partem urbis, quam hostis ceperat obsidere.

Quod est alterum argumentum?

Alterum argumentum sumitur ex distinctiõne hostium. Hostes alij sunt nobis viribus vel pares, vel inferiores, vel superiores. Qui nobis pares aut inferiores sunt, adversus tales mœnia & alia propugnacula, non usq; adeò sunt necessaria: siquidem honestius est cum illis in aperto campo congre-

di, &

Εἴτι δὲ,
αὐτὸς ἰδὲ
τὸς ὁμοί-
85.

di, & fortitudinem atq; animi magnitudinem factis ipsis declarare, quam in externis eiusmodi praesidijs velle salutem quaerere. Qui verò numero & potentia nobis multò sunt superiores, adversus illos etiam ad alia praesidia & auxilia confugere, non est turpe: imò temeritas, insania, & stultitia esset, ea, cum civitatis omniumq; civium periculo atq; exitio, contemnere & negligere.

Quod est tertium argumentum?

Tertium argumentum sumitur ab absurdo trium similibus exemplorum: Quemadmodum absurdum esset pro extruenda urbe non velle quaerere locum aliquem naturâ munitum: aut colles solo aequare, unde cives possent se contra hostiles impetus tueri: aut privatas domos nullis parietibus, contra bestiarum incursiones includere: eam solum ob causam, ne inhabitatores videantur esse timidi & ignavi: ita etiam absurdum est dicere, civitatem nullis mœnibus esse cingendam: ne cives videantur parùm forti animo esse praediti.

Quod est quartum argumentum?

Quartum argumentum continet refutationem contrariae obiectionis eorum, qui dicunt: ijs civibus qui inhabitant civitatem, mœnibus & alijs munitionibus munitam, adimi occasionem exercendo

Αλλὰ μὴ
ἔδε τοῦτο
με δεῖ λαο
θάγειν.

As 3

sua fortitudinis contra hostes in defendenda civitate: ideò quòd omnem spem & fiduciam habent in eiusmodi munitionibus. Hoc negat Aristoteles: & ostendit cives nihilominus posse fortitudinem suam declarare, quatenus nimirum illis licet vel urbe egredi, & in aperto campo cum hostibus manus conferere: vel hostes fortiter à mœnibus, in urbis oppugnatione, repellere.

Εἰ δὲ τοῦ-
χον ἔχῃ τὸν
πόρον,
ἔχῃ ὅτι τε
χει.

Quod est quintum argumentum?

Quintum argumentum sumitur ex loco comparatorum, à pari. Etenim si licet hostibus excogitare, & apparare varias machinas & instrumenta bellica ad expugnandas urbes: licet etiam oppidanis & civibus omnia ea extruere & apparare, quibus vicissim se contra hostium vim tueri, & defendere possint.

Quod est sextum argumentum?

Sextum argumentum sumitur ab utili seu effectu. Nam si hostes videant civitatem contra externam vim satis esse munitam & instructam: facilius absterrebuntur à suo proposito: neque temerè volent contra talem civitatem bellum suscipere.

CAPVT

CAPVT XII.

Dixisti de privatis Aedificijs civium, quo pacto in civitate sint disponenda. Sed sunt ne etiam in civitatibus necessaria quædam publica Aedificia: quæ communibus civium usibus sunt destinata?

Ἐπεὶ δὲ
δεῖ τὸ μὲν
πλῆθος.

Multa quoque & varia sunt publica aedificia, in civitatibus bene constitutis necessaria: ex quibus Aristoteles in hoc capite quatuor precipuorum mentionem facit: quarum alia destinata sunt ad peragenda ea, quæ ad divinum cultum pertinent: ut sunt, Tempa, Fana, Delubra, Sacella: alia ad celebranda publica convivium, quæ à Grecis συσσίτια nominantur, ut sunt, Coenacula Sacerdotum, Magistratum, Civium: alia ad expedienda civilia & quotidiana negotia, ut sunt, Fora magistratum & iudiciorum: item rerum venalium: alia denique ad exercitia tam ingeniorum, quam corporum: ut sunt Gymnasia & Scholæ.

Quibus in locis civitatis ista publica aedificia sunt extruenda?

ταῖς δὲ τοῖς
θείοις ἀπο-
δοδομένας
οἰκίσεις.

Tempa in locis celebrioribus & editioribus civitatis: quæ splendorem aliquem & dignitatem cultui divino congruentem habent. Coenacula magistratum & sacerdotum non debent procul à templis esse remota: ut eorum vicinitate, epulantes admoneantur temperantiae & sobrietatis. Coenacula

verò civium extruenda sunt iuxta mœnia & propugnacula civitatis: ut cives possint illa unâ cum militibus, quibus custodia urbis commissa est, ea celebrare: ad maiorem inter utrosq; concordiam fovendam.

Πρέπει δὲ
ὑπὸ μὲν
τοῦτον τὸν
τύπον.

Quid est Forum in civitate?

Forum, ἢ ἀγορὰ, est amplius & publicus locus, ab edificijs privatorum civium vacuus in civitate: ad communes & quotidianos civium usus destinatus.

Quot enumerantur ab Aristotele eius species?

Tres: ἀγορὰ ἐλευθέρη, Forum Liberum, à commercijs nimirum, & strepitu sordidorum opificum, aliorumq; hominum, qui non peculiariter sunt vocati. Hoc Forum situm esse debet in celebriore aliquo loco civitatis: nempe inter ædes sacras & Prytanea, id est, cœnacula Magistratum: ut sit accommodatum deambulationibus & colloquijs honestiorum civium: qui inter se, animi recreandi gratia, de varijs rebus familiariter colloqui cupiunt.

Τὸ δὲ τῶν
ἀνίων ἀ-
γορᾶν.

Quæ est altera Fori species?

Alter species Fori nominatur, ἀγορὰ τῶν ἀνίων, Forum rerum venalium, quæ ad victum, amictum, & alios usus vitæ quotidiane sunt necessariae. Hoc Forum à priore debet esse separatum & remotum, ne strepitu & discursationibus eorum, qui

qui

qui commercia inter se exercent, impediuntur colloquia & consilia eorum, qui ad forum liberum colloquendi aut consultandi gratia convenerunt. Solum autem esse debet in eiusmodi urbis parte, ad quam illi, qui commercia exercere volunt, facile possint suas merces è mari & terra comportare.

Quæ est tertia Fori species?

Tertia Fori species appellatur, ἀρχὰ τῶν ἀρχείων, Forum Magistratum, est locus, in quo Curia, Palatium, Prætorium, Archivum, Tribunalia, & similia publica ædificia sunt extructa: in quibus de negocijs publicis agitur, cause Forenses cognoscuntur & dijudicantur, iudicia exercentur, contractus consignantur, tabule publicæ cōficiuntur. Hoc Forum non debet procul remotum esse à Foro rerum venalium: atq; iuxta illud habitare debent ij, qui publicis negotijs civilibus administrandis sunt præfecti: ut quoties eorum præsentia opus fuerit, semper possint præsto adesse.

Τῶν δὲ ἀρχείων ἴσως
ἔστι τὰ
συμβό-
λαια.

CAPVT XIII.

Quæ hætenus de materia, ex qua civitas constituenda est, commemorasti, quò potissimum sunt referenda?

Περὶ δὲ
τῆς πολι-
τείας ἀνε-
πίσ-
της.

AD finem civitatis, qui est ipsa felicitas seu beatitudo, tam universæ civitatis, quam singulorum civium: neq; enim revera civitas beata

Αα §

dici potest, nisi quoque singuli eius cives sint beati.

In quo consistit illa beatitudo?

In perfecta actione secundum virtutem: quemadmodum in Ethicis dictum est.

Quot requiruntur ad eiusmodi perfectam actionem?

Duo: Vnum est, ut scopus & finis actionis sit bonus: alterum est, ut media illa, per qua ad finem perveniendum est, sint recta & bona: quando verò hæc duo sibi mutuò non correspondent: aut alterum ex illis, vel utrunq³ male se habet: tunc necesse est agentem errare, eiusq³ actionem esse malam & imperfectam. Ex quo etiam intelligitur, quænam causa sit, quamobrem non omnes homines beatitudinem consequantur, licet omnes eam expetant: nimirum, quia vel de ea, tanquam ultimo fine, non rectè indicant: vel non per ea media, per qua debebant, ad eam contendunt.

Ἐπεὶ δὲ
τὸ προκείμενον ἐστὶ.

Quomodo definitur beatitudo civilis in hoc loco?

Beatitudo est operatio & usus virtutis perfectus, non ex conditione aliqua, sed absolutè & simpliciter. Εὐδαιμονία ἐστὶ ἐνέργεια, καὶ χεῖρισ τελεία ἀρετῆς: καὶ αὐτὴ οὐκ ἐξ ὑποθέσεως, ἀλλ' ἀπλῶς.

NOTA. Hæc definitio Beatitudinis, etiamsi nonnihil verbis discrepet ab ea, quæ in primo libro Ethicorum ponitur: tamen quoad sensum eadem est: εὐδαιμονία ἐστὶ ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς, κατ'

κατ' ἀρετὴν ἀείψαν, καὶ τελειοτάτην, ἐν βίῳ τελείῳ:
 Beatitudo est operatio animi rationalis, secundum
 virtutem optimam & perfectissimam, in vita per-
 fecta.

Quare in definitione Beatitudinis, quæ hoc loco
 habetur, adijcitur hæc particula ἐκ ἐξ ὑπο-
 θέσεως, ἀλλ' ἀπλῶς?

Quia, quemadmodum bona, quædam sunt re-
 vera & simpliciter bona: quædam solùm ex condi-
 tione sunt bona: ita etiam in actionibus se res habet:
 quædam sunt simpliciter bone: ideoq; etiam per se
 expetende: veluti sunt ea, quæ cum virtute sunt
 coniunctæ: quædam sunt solùm ex conditione bone:
 quatenus nimirum alterius alicuius boni consequen-
 di, aut mali effugiendi gratia necessario suscipiun-
 tur, ac fiunt: atq; ideo etiam non per se, verum pro-
 pter aliud expetuntur.

Obiectio. Atqui vir bonus, etiam rebus sua natu-
 ra malis potest rectè uti: igitur Beatitudo non
 solùm est in ijs, quæ simpliciter bona sunt?

Χρήσιμα
 δ' ἀνὸ σπῆ-
 δαῖος ἀ-

Solutio. Verum quidem est, virtutis tantam vim
 esse in viro bono, ut etiam ea, quæ alioquin sua na-
 tura mala sunt, non tamen possint ei nocere: imò pos-
 sit ea etiam ad bonum finem dirigere: sed tamen in
 illis eius beatitudo non ita est plena & splendida,
 quemadmodum in ijs, quæ sua natura sunt bona &
 expetenda: quemadmodum etiam in lib. 1. Eth. cap.
 10. dictum est.

Qualem

Ἀναγκαῖ-
ον τοίνυν
ἐκ τῶν εἰ-
ρημένων.

Qualem ex his infert Aristoteles conclusionem?

Ex ijs, quæ iam de beata civitate dicta sunt, Aristoteles infert talem conclusionem. Ad beatam igitur civitatem duo requiruntur. Primum, Virtus: nimirum ut omnes cives sint virtutis, eiusque actionum studiosi: deinde, Bona externa, quæ sunt adiumenta & ὄργανα ad actiones virtutum melius exercendas. Ex his duobus autem, prius pertinet ad officium prudentis legislatoris & politici: ut videlicet bonis legibus, bonâq; disciplina & institutione, cives suos ad amorem & studium virtutis & honestarum actionum excitet & assuefaciat. Posterius autem, quod est de bonis externis, magis pendet à fortuna, quàm ex hominum voluntate & arbitrio: ideo optandum potius, quàm legibus sancendum est.

Τοῦτ' ἀρε-
σκεπλέον
πῶς ἀνὴρ.

Si ea solùm civitas dicitur & potest esse beata, in qua omnes cives sunt beati: non possunt autem esse vel dici beati, nisi sint viri boni:

Quæ igitur requiruntur ad efficiendum virum bonum?

Ad efficiendum virum bonum tria debent concurrere: ἡ φύσις ἢ εὐφυΐα, nature bonitas: τὸ ἔθος, consuetudo & assuefactio: ὁ λόγος, ratio. In hanc sententiam etiam in X. lib. Eth. cap. 9. scribit: γίνεσθαι δ' ἀγαθὸς οἴονται: οἱ μὲν φύσει: οἱ δ' ἔθει: οἱ δ' ἀδασχῆ, ἢ λόγῳ.

Quare

Quare requiritur ἡ φύσις, natura?

Quia si natura non sit capax virtutis, qualis est bestiarum, nunquam etiam poterit ad virtutem eiusque actiones assuescieri. Ideò in Ethicis ait, eum qui debet vir bonus fieri, debere esse καταχώριον ἐκ τῆς ἀρετῆς, id est, aptum ad concipiendum semen virtutis. Hanc aptitudinem Aristoteles in Ethicis nominat φυσικὴν ἀρετὴν, item ἐπιτηδειότητα, ἔδεινότητα. Nam ut Cic. in lib. 5. Tuscul. scribit, Tardis mentibus virtus non facile committitur.

Quare secundo loco requiritur τὸ ἔθος, ἢ ἡ ἀσκησις consuetudo & assuefactio?

Ἐνὶ ἀπὸ τοῦ
θεοῦ ἕφελος
φύσει.

Ad naturam vel naturæ bonitatem necesse est secundo loco accedere τὸ ἔθος, assuefactionem: quoniam nisi semina illa, vel ut Cicero vocat, igniculi virtutum à natura concessi, diligenti labore ἔσσιδουο exercitio excitentur, augeantur, ἔσσιfirmantur, donec in habitus excrecant: facile iterum per ignaviam ἔσσιnegligentiam poterunt suffocari ἔσσιextingui: antequam ad bonam ἔσσιutilem frugem perveniant.

Quare etiam accedere oportet tertio loco τὸν λόγον, rationem, seu ut alibi nominat διδασχὴν, μαθήσιν, παιδείαν, doctrinam, disciplinam, & institutionem?

Τὰ μὲν ἔσσι
ἀλλὰ τῶν
ζώων.

Quia illa duo priora etiam aliquo modo homini communia sunt cum quibusdam bestiis: in quibus
inter-

interdum quoq; sunt preclara dotes naturæ: quæ etiam hominum industria ad quasdam actiones assequi fieri possunt: quæ alioquin ab earum natura sunt alienæ. Hoc verò tertium, nempe ὁ λόγος, ratio, solius hominis est propria: cuius beneficio non solum ipse per se intelligere potest & discernere: verum etiam alios docere, & vicissim ab alijs discere, quid in actionibus honestum vel turpe, bonum vel malum, experendum vel fugiendum sit. De quare Cic. lib. 1. de Orat. sic scribit: Quæ bona sunt, fieri meliora possunt doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi possunt.

CAPVT XIV.

Ἐπεὶ δὲ
ἐπ' αὐτῶν πο-
λιτικῆ καὶ
νομίαν.

Quoniam ad efficiendum bonum virum, plurimum confert disciplina & institutio: quæ sunt circa eam Politico & Legumlatore consideranda?

Due hoc in loco se offerunt quæstiones. Prima, *Utrum omnium civium eadem debeat esse disciplina & institutio?* Altera, *Quenam circa ipsam institutionem sint observanda.* Quod ad priorem quæstionem attinet: notandum est, civilem societatem constare ex duobus præcipue generibus hominum: unum est eorum, qui imperant: & appellantur ἀρχοντες, Magistratus. Alterum eorum qui parent: & nominantur ἀρχόμενοι, subditi. Ad hos duos ordines civium etiam disciplina est accommodanda.

danda. Etenim cum eorum diversa sit vitæ ratio
& conditio: etiam diverso modo sunt instituendi:
illi nimirum, quo pacto rectè possint imperare: hi ve-
rò, quo pacto rectè debeant parère. Imò quia in liberis
civitatibus & politijs est vicissitudo imperandi &
parendi: ideo cives in utroq; sunt instituendi: ut &
rectè imperare, & obedientiam præstare possint.

Est ne utile, ut in civitate imperium semper sit pe-
nes aliquos certos: reliqui autem semper
illis pareant?

Εἰ μὴ τοιο-
ντων εἴησαν
τοσούτων.

Pro huius quæstionis declaratione Aristoteles
adfert hanc distinctionem: Qui eiusdem civitatis
sunt cives, hi vel virtutibus, & alijs, vel animi, vel
corporis, bonis sunt inter se æquales & similes: vel
sunt inæquales et dissimiles: atq; hi rursus vel pa-
rum, vel plurimum sunt dissimiles. Quando æqua-
les & similes, aut admodum parum dissimiles sunt:
tunc æquum est, ut per vices imperium omnibus per-
mittatur: etenim iustitiæ regula postulat, ut æqua-
libus equalia tribuantur. Quando verò plurimum
sunt dissimiles, tunc æquum est, ut illis imperium con-
cedatur, qui virtutibus aut corporis præstantia cete-
ris civibus longè sunt superiores. Hanc excellentiam
ait Indos in eligendis regibus olim observasse: & su-
prà in l. 4. c. 4. scripsit, *ἠθιοπεὶς* solitos fuisse δια-
νέμεσθαι τὰς ἀρχὰς κατὰ μέγεθος, ἢ κάλλος: quod e-
tiã Herod. in Thalia refert: οἱ Αἰθίοπες, inquit, ὄν-
ται

ἀν τῶν ἀσῶν κείνωσι μέγισόν τε εἶναι: καὶ κατὰ τὸ μέ-
γθος ἔχειν τὴν ἰσχὺν: τῆτον ἀξιῶσι βασιλεύειν.

Ἀλλὰ μὲν
ὅτι γε δεῖ
τὰς ἀχον-
τας.

Obiectio. Atqui ista vicissitudo imperandi & pa-
rendi, videtur aliquid detrahere authoritati &
dignitati eorum, qui aliquando magistratum
gesserunt: si nimirum debeant esse subiecti
& parere ijs, quibus ipsi paulò antea
imperaverant?

Solutio. Vicissitudo ista imperandi & parendi
in libera Reprb. non imminuit authoritatem ma-
gistratus: primùm, quia consentanea est iustitiae,
quemadmodum paulò antea dictum est. Deinde,
quia eius vestigia reperiuntur in ipsa natura: quae
sicut iubet, ut iuniores obtemperent senioribus: ita
quoque permittit ut iidem iuniores, postquam senes
effecti fuerunt, etiam imperent alijs iunioribus.
Tertiò, quia illa vicissitudo imperandi & parendi
est utilis in Republica: quemadmodum patet ex
communi proverbio: Neminem posse rectè impera-
re, nisi antea quoque paruerit. Quartò, quia non
omnia ἐπιτάγματα, id est, iussa & imperata affe-
runt ei, qui ea praestat, aliquod dedecus aut ignomi-
niam. Alia enim aestimantur τοῖς ἔργοις, ex ipsis
operibus per se: alia verò aestimantur τῷ τέλει ἢ ἐνε-
ργείᾳ, sine cuius gratia mandantur, suscipiuntur, &
fiunt. Itaq; potest quidem fieri, ut quaedam obse-
quia τῷ ἔργῳ, opere ipso, videantur esse abiecta &
servilia:

servilia: quæ tamen ratione finis, propter quem mandantur & fiunt, non sunt inhonestas, qui ea præstant & exequuntur: imò interdum necessitate postulante, non pudet eos ipsos, qui percipiunt, eadem præstare.

Quæ sunt consideranda Legumlatori & Politico circa disciplinam civium?

Ἐπεὶ δὲ
πολίτης ἵσθ
ἀξιοῦν.

Primum considerandus ei est ultimus civitatis finis, ut ad illum consequendum omnem disciplinam civium accommodet: Finis autem ille est beatitudo seu felicitas, cum totius civitatis, tum singulorum civium.

Deinde, quia ista politica beatitudo consistit in actione virtutis: ideo proxima eius cura esse debet, ut per disciplinam excitet in animis civium amorem & studium, ad virtutis actiones exercendas: nam sine illis nemo vir bonus neq; beatus esse aut dici potest.

Tertio, quia actiones virtutum sunt media, per quæ beatitudo politica comparatur: plures autem & varia sunt virtutes: ideo etiam politico considerandum est, ad quas precipue virtutes disciplinam civium debeat accommodare: ut secundum eas vitam suam possint instituere.

Quarto, quia universa hominum vita distinguitur in duo tempora: unum ocij & pacis: alterum negocij & belli: utriusq; autem sunt propria

Bb

quædam, & peculiare virtutes: & quia pax & ocium præferenda sunt bello & negotio: ideò disciplinam civium potius ad virtutes pacis, quàm ad virtutes bellicas debet accommodare.

Διόντιος
δὲ δύο μέ-
ρη τῆς ψυ-
χῆς.

Quia virtutum subiectum est animus, quem debent perficere: undè cognoscitur
Animus?

Accurata & plenior Animi consideratio propriè pertinet ad metaphysicam: à politico verò ea-tenus solum consideratur, quatenus ex eius potentis, earumq; operationibus proficiscuntur actiones virtutum, in quibus Philosophi ponunt civilem hominis beatitudinem. Sunt enim duæ primariae potentia animi humani: una dicitur λογική, rationalis: quæ ex se, & sua natura ratione prædita est: in qua est ipsa ratio & mens: atq; hæc rursus est bipartita, θεωρητική, contemplativa: & πρακτική, activa. Ad hanc potentiam referuntur virtutes intellectuales, διανοητικαί. Altera nominatur ἄλογος, irrationalis: quæ ipsa quidem ex se non habet rationem: sed tamen in homine ita est constituta, ut rationem intelligere, eiq; obtemperare possit: & in hac est appetitus, estq; sedes omnium affectuum: ad hanc pertinent virtutes ἠθικαί, id est, morales.

Quæ

Quare Lycurgus omnes suas leges & universam disciplinam civium direxit ad virtutes bellicas & artem militarem?

Οἱ δὲ νῦν
ἀριστα δο-
κῆντες πο-
λιτεύεσθαι.

Vt stabiliret & amplificaret potentiam & imperium Lacedaemoniorum: simulq; civium suorum opes & facultates auget: nam qui alijs dominantur, hi etiam existunt domini omnium bonorum, quae illi possident.

Recte ne hoc à Lycurgo est factum?

Negat Aristoteles scopum, quem Lycurgus in suis legibus sibi habebat propositum, esse bonum & verum: atq; hoc probat tribus argumentis. Primum, Quia neq; ipsi Lacedaemonij, licet Lycurgi leges diligenter servarent, potuerunt per eas suum imperium diu retinere: sed statim, postquam pacem nacti essent, illud iterum amiserunt: & sic felicitate sua exciderunt: eò quòd solum ad belli, non autem ad pacis virtutes erant assuefacti.

Alterum argumentum sumitur à fine bonarum legum, qui debet esse honestus, & cum virtute coniunctus: At qui herili more δεσπολικῶς velle alijs imperare, quale imperium Lacedaemonij affectabant, non est honestum, neq; cum virtute coniunctum: sed magis violentum & iniustum. Ergò scopus legum Lycurgi non erat verus & laudabilis. Minor declaratur comparatione imperij politici,

quod est in homines liberos: & imperij herilis, quod est in servos: quorum illud coniunctum est cum virtute & humanitate: hoc autem cum vi & iniuria.

Ἐπὶ δὲ ἵ
ἀγὸς τῶ
δεῖ τὴν
πόλιν.

Tertium argumentum sumitur ab effectu. Quæ leges possunt excitare in animis hominum cupiditatem dominandi, hæ sunt civitatibus periculosa. Sed leges Lycurgi possunt istud efficere. Ergo. Maior probatur, Quia dominandi libido facile potest permovere animos hominum ad movendas turbas & seditiones. Declaratur exemplo Pausaniae regis Lacedæmoniorum: qui propter hanc dominandi cupiditatem etiam accusatus fuit, quasi affectasset Tyrannidem.

Τὴν τε ἴ
πολεμ-
κῶν ἀσκη-
σιν.

Sunt ne igitur omnia exercitia & studia bellica in civitatibus exterminanda?

Nequaquam. Nam habent etiam ista exercitia suum usum, si referantur ad verum & proprium finem, propter quem sunt excolenda.

Quis ille finis?

Triplex est finis, propter quem etiam virtutes & studia bellica in civitatibus ab ipsis civibus sunt excolenda. Unus est, ne cives ipsi cogantur alijs subiecti esse & servire. Alter est, ut ipsi cives possint etiam alijs, cum suo & ipsorum commodo imperare. Tertius est, ut possint imperare & dominari ijs, qui digni sunt, ut ipsis serviant.

C A P V T

CAPVT XV.

Quare disciplina civium ad pacem potiùs, quàm ad bellum est dirigenda?

Ἐπεὶ δὲ τὸ
αὐτὸ τέλος
ἴνα εἶναι
φαινέται.

Quia pax magis convenit ultimo fini civitatis, hoc est, Beatitudini, quàm bellum: continet enim pax in se omnis generis bona: bellum verò infinita secum adfert mala: quæ beatitudini planè adversantur. Prætereà bellum non habet rationem finis, sicut pax: nam bellum propter pacem, quemadmodum labores & negocia propter ocium suscipiuntur: quemadmodum Aristoteles in lib. 10. Ethic. cap. 7. scribit: ἀχολόμεθα, ἵνα χολάζωμεν: καὶ πολεμοῦμεν, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν.

Quæ est hoc loco notanda virtutum distinctio?

Virtutes sunt duplices: quedam sunt τῆς χολῆς καὶ εἰρήνης, ocij & pacis: quedam τῆς ἀχολίας καὶ πολέμου, negocij & belli. Pacis virtutes dicuntur, quarum actiones & usus maximè in pace conspiciuntur: & ad quas excolendas & exercendas ocium & pax requiritur: veluti sunt Temperantia, Iustitia, Liberalitas, Molestia, Veritas, & pleraq; aliæ virtutes morales. Prætereà virtutes intellectuales, quas Aristoteles hoc loco intelligit per vocabulum Philosophiæ.

Bb 3

Quæ dicuntur esse virtutes belli?

Οἱ δὲ μὴ
δυνάμενοι
κινδυνεύειν
ἀνδρείως.

Quarum actiones maximè belli tempore sunt conspicuae & necessariae: veluti in defendenda patria, religione, libertate: in propulsandis hostibus: in amplificando imperio: cuiusmodi sunt, Fortitudo, Animi magnitudo, Constantia, Tolerantia, Perseverantia in perferendis laboribus, doloribus & periculis, honestatis, & publicæ utilitatis gratia.

OBSERVATIO.

Notandum est hoc loco, istas virtutes pacis & belli nominari: non quòd nullus earum usus sit alijs temporibus: sed quòd earum vis & necessitas maximè illis temporibus est conspicua. Alioquin etiã pacis tempore requiritur fortitudo & animi magnitudo atq; constantia in administratione Reipub. quando vel de publicis negocijs est deliberandum, aut de civilibus controversiis iudicandum & pronuntiandum. Sic etiam in bello opus est iustitia: nam bellum quod iniuste est susceptum, nunquam potest feliciter administrari. Eodem modo etiam temperantia in bello est necessaria, non solum in defectu comeatus, & aliarum rerum necessariarum: verum etiam ne victores abutantur victoria ad suam libidinem.

Πολῆς ἔν
δεῖ δικαιο-
σύνης καὶ
πολῆς.

Quare temperantia præcipuè dicitur esse
virtus pacis?

Quia temperantia maximè necessaria est in pace. Ho-

ee. Homines enim plerunq̄ pace, propter ocium & rerum affluentiam, quam pax secum adfert, abutuntur ad luxum, ad voluptatem, & ad alia quævis flagitia: undè etiam redduntur securi, luxuriosi, & petulantes: atq̄ his modis sibipsis tandem interitum accersunt, quemadmodum dicitur, κόρος ὑβρίν τίκτει, ἢ δὲ ὑβρίσιν πικραίαν. Et Catullus, Ocium reges prius, & beatas perdidit urbes. Et Ovidius, Luxuriant animi rebus plerunq̄ secundis.

Quid ex his infert Aristoteles?

Duo πορίσματα. Quorum unum est: Legislatoris officium esse, ut in constituenda civitate leges suas eo accommodet, ut cives sui utroq̄ tempore, pacis nimirum & belli, possint rectè uti: ut hac ratione, quantum quidem fieri potest, utroq̄ tempore sint felices & beati. Ratio sumitur ab absurdo. Etenim si turpe est, non posse secunda fortuna rectè uti, quocunq̄ tandem tempore fuerit: multò turpius est, non posse ea rectè uti in pace & ocio: sed belli tempore cupere quidem videri fortes & cordatos: pacis verò tempore esse ignavos, & voluptatū mancipia.

Quod est alterum πορίσμα?

Continet conclusionem huius loci. Ergò felicitas civitatis non sola bellica virtute, & ijs bonis, quæ bello acquiruntur, est æstimanda: sicut Lace-

Bb 4

Διότι μὲν
ἐν τῇ
μέλλουσῶν
εὐδαιμονίᾳ
νίστην.

demonij fecerunt: sed potius pacis & ocij virtutibus: quæ ut sunt præstantiores, ita plura quoq̃, maiora & veriora civitati adferunt commoda: quàm ea quæ per bellum acquiruntur: & propterea etiam magis expetenda.

Πῶς δὲ ἴσθι
 Ἀπὸ πύων
 ἔσται.

Quæ sunt circa disciplinam & institutionem hominis consideranda?

Quia homo constat ex animo & corpore: in animo autem sunt duo: Ratio & Appetitus: ideò omnium istorum in institutione hominis habenda est ratio.

Vndè faciendum est initium?

Quemadmodum natura in generatione rerum ab imperfectis facit initiũ, & tendit ad perfectum, tanquam finem: ita etiam in institutione hominis hic ordo est servandus: ut prius corporis mores informantur, quàm animus: & appetitus prius, quàm ratio. Atq̃ hunc ordinem ipsam naturam quoq̃ in hominis generatione servare: non solum auctoritate & testimonio Physicorum & Medicorum: verum etiam ab ipsa experientia demonstrari potest: videlicet corpus in utero materno prius formari, antequàm accipiat animam: & appetitus atq̃ affectuum signa prius in infantibus recens natis, apparere, quàm rationem, cuius indicia serò admodum conspiciuntur. Hinc ergò sic argumetur:

tatur:

tatur: Quod tempore prius est, illud etiam prius in homine est informandum. Sed corpus prius est animo: & appetitus prior est ratione. Ergò corpus prius est informandum moribus, antequàm animus sit virtutibus imbuendus. Hoc ipsum etiam in fine Ethicorum declarat exemplo simili, in quo animus comparat agro, qui, antequàm semen inijciatur, prius diligenti cultura preparandus est: ut ad excipiendum semen efficiatur idoneus.

Πόρισμα.

Ergò corporis cultura, animi culturam debet precedere, & animi causa suscipienda est: appetitus autem curam mentis causa suscipere oportet, eiusq³ assuefacere, ut discat rationi obedire. Siquidem animus respectu corporis habet rationē finis: quemadmodum etiam mens, respectu appetitus. Etenim corpus homini datum est, primum ut animus habeat quoddam quasi domicilium, in quo habitet. Deindè ut habeat etiam instrumenta, per quæ possit vires suas exercere. Eodem modo etiam appetitus & effectus homini tributi sunt: ut Ratio & v̄s habeat eos tanquam subditos & satellites, quibus debet imperare, eosq³ regere, & in officio continere.

CAPVT XVI.

Δεῖ δ' αὖ-
ποβλέπον-
τα νομοθε-
τεῖν ταύ-
την.

Dixisti in præcedente capite primam curam institutionis hominis circa corpus esse suscipiendam: quæ sunt igitur Politico & Legumlatori hîc consideranda?

Duo circa corporis curam, quo ad institutionem hominis attinet, sunt politico consideranda: nimirum hominis Generatio & Educatio.

Circa Generationem quid primo loco considerandum?

Coniugium, sive legitima coniunctio earum personarum: per quas corpora hominum, hoc est, ipsi homines, qui cives futuri sunt, debent generari & procreari.

Quamobrem?

Quia permultum refert ad sanitatem, ad robur & vires, deniq; ad formam corporis: quibus nam ex parentibus aliquis procreatus sit. Plerunq; enim ex sanis, robustis, & venustis, etiam procreantur sana, robusta, & venusta corpora: quemadmodum etiam ex contrario videre licet: ex morbofis, pusillis, & deformibus, procreari morbosa, pusilla, & deformia corpora. Neq; enim pygmaeus aliquis, aut deformis Mopsus: potest Gigantem, & formosum Alexin ex se procreare. Atq; huc etiam referri potest id, quod legitur apud Horatium in lib. 4. Car.

Ode

Oda quarta: Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in iuvenis, est in equis patrum virtus: Nec im-
bellem feroces progenerant aquila columbam.

Quæ sunt autem politico circa coniugium
consideranda?

Σχεδόν
διὰ πάντα
συμβαί-
νει.

Circa coniugium monet Aristoteles sex circum-
stantias considerandas esse Politico seu Legumlato-
ri, qui civitatem constituere velit. Prima est de æ-
tate eorum, qui matrimonium contrahere volunt.
De qua hoc præceptum tradit Aristoteles. Qui con-
trahere volunt matrimonium, ambo debent & æ-
tate & viribus ad procreandam sobolem esse idonei:
hoc est, ut non nimium sint vel iuvenes, vel senes,
vel inter se dispares.

Quomodo confirmatur hoc præceptum?

A contrario, hoc est, ab enumeratione incom-
modorum, quæ ex eiusmodi vel intempestivo, vel
dispari coniugio consequuntur. Primum enim in-
ter dispares facile oriuntur lites & discordiæ: Unde
Pittaci præceptum, γάμει ἐκ τῶν ὁμοίων: æqualem
tibi quære uxorem. Deinde si sunt nimium vel iu-
venes, vel senes: aut nullos, aut infirmos generant
liberos: Prætereà si sunt nimium iuvenes, non pos-
sunt habere apud liberos magnam authorita-
tem: neque possunt illis sine iactura rei suæ fa-
miliaris, magnam dare dotem: cum ipsi adhuc
propter

propter etatem suis bonis diu indigeant. Sæpè etiam
fœminæ in partu moriuntur, virorum verò corpora
enervantur. Quod si verò sunt admodum senes, non
possunt liberos suos expectare, donec aut ad iustam
etatem pervenerint, aut nepotes eorum viderint.

Ἐπεὶ γὰρ
ἄριστοι ἰε-
λος τῆς γυν-
νῆστος.

Quæ igitur ætas apta est coniugio, & procrea-
tioni liberorum?

Aristoteles hoc loco viris præscribit tempus ab
anno etatis trigesimo septimo, usque ad annum se-
ptuagesimum. Mulieribus verò ab anno decimo
octavo, usque ad annum quinquagesimum. Plato
verò in lib. 5. de Repub. aliter istos annos definit.
Nam viris præscribit annum trigesimum, usq; ad
quinquagesimum quintum: Mulieribus annum
vigesimalium usq; ad quadragesimum. Hesiodus iu-
bet virum contrahere matrimonium circa annum
trigesimum: mulierem verò circa annum decimum
quintum.

Quomodo hanc suam sententiam confirmat?

Aristoteles ait hanc suam sententiam de tem-
pore contrahendi matrimonij, consentire cum opi-
nionem poëtarum: qui etates hominum numero se-
ptenario distinxerunt: circa hoc enim tempus, ple-
runque in corporibus hominum, quo ad valetudi-
nem, vigorem, & robur corporis attinet, conspici-
tur aliqua mutatio. Videtur autem intelligere So-
lonem:

lonem: cuius versus de hac re extant apud Clemen-
tem Alexandrinum: in quibus ætas hominum di-
stinguitur in decem septenarios: nimirum usq; ad
annum LXX. Et quid singulis illis septenarijs
propriè conveniat, ostenditur.

Quæ est altera circumstantia?

Est de habitu, hoc est, de constitutione corporis
eorum, qui matrimonium contrahere cupiunt.

Ποίον ἔτι-
νων τῶν σω-
μάτων ὑ-
παρχόν-
των.

Quod habes hîc præceptum?

Qui matrimonium contrahere cupiunt, non de-
bent esse valetudinarij, & δεγρευτικοί, hoc est, qui
semper opus habent medicina & curatione corporis:
sed debent esse sano & vegeto corporis habitu præ-
diti: ita ut possint non solum labores & molestias,
quas rei domesticæ administratio in se habet, facile
perferre & expedire: verum etiam idonei esse ad pu-
blica & civilia negotia, quæ illis à civitate impo-
nuntur & demandantur peragenda.

Quæ sunt reliquæ circumstantiæ, quæ circa con-
iugium sunt observandæ?

Περὶ ἡ ἀ-
ποθέσεως
ἢ τῆς φῆσος

Tertia circumstantia est de tempore anni, quod
accommodatum maximè sit procreandis liberis. Et
quarta est de cura prægnantium, qualis esse debeat.
Sed hæc duæ magis ad Medicum, quàm ad Politi-
cum pertinent.

Quæ

Quæ est quinta circumstantia?

Quinta circumstantia est de barbara & crudeli
 quarundam nationum & gentium consuetudine:
 quæ suos infantes non omnes alebant: sed tantum
 eos, quos elegantiores & membris perfectiores esse
 videbant: & de quibus ex physionomia, iudicium
 fieri poterat, eos præclara indole esse præditos: ac pro-
 indè futuros aliquando utiles Reipub. cives. Cete-
 ros autem exponebant vel circa flumina, vel iuxta
 vias: ut à prætereuntibus tollerentur & alerentur.
 De qua infantum expositione, multa apud Ethni-
 cos Scriptores reperiuntur fabulæ: ut de Romulo &
 Remo: de Oedipo filio Lay regis Thebarum: de Pa-
 ride filio Priami regis Phrygiæ: de Telepho filio
 Herculis: & de pluribus alijs. Sed barbara hæc
 consuetudo non solum naturæ repugnat, cuius in-
 stinctu unumquodq; animal suam prolem alit: ve-
 rum etiam in iure civili sub gravi pœna est prohi-
 bita: & lex sancita, qua quisque suos liberos alere
 iubetur.

Περὶ δὲ
 τῆς πρὸς
 ἑλλήν ἢ
 πρὸς ἄλ-
 λου.

Quæ est sexta circumstantia huius loci?

Sexta circumstantia est de contrario Coniugij,
 hoc est, de adulterio: quod omninò turpe & fugien-
 dum esse præcipit: quia per illud violatur fides ma-
 trimonij, quam coniuges sibi mutuò utrinque pro-
 miserunt.

CAPVT

CAPVT XVII.

Quid in hoc capite agitur?

Γενόμενον
δὲ τῶν ἰσχυ-
ρων.

Aristoteles postquam in precedente capite explicasset primum caput, quod circa corporis curam est considerandum, nempe de Generatione hominis: iam accedit ad alterum caput, quod est de eius educatione. Hanc autem distinguit secundum annos sive etates hominis: de quibus etiam in precedente capite mentio facta est. Et in hoc capite agit de primo septenario, seu de primis septem annis, quos distinguit in infantiam, quæ est duorum primorum annorum: & in pueritiam, quæ se extendit ad finem septimi anni: & rursus in duas partes distribuitur: in primam scilicet pueritiam, quæ est trium sequentium annorum, tertiam scilicet, quarti & quinti: & in extremam pueritiam, quæ est sexti & septimi anni.

Quæ sunt observanda duobus primis annis,
circa infantum educationem?

Quatuor. Primum pertinet πρὸς τὴν τροφήν, ad nutrimentum, quo infantes sunt alendi: de quo duo traduntur præcepta. Primum, Infantes alendi sunt lacte materno: aut si illud haberi non potest, alterius alicuius nutricis, quæ etate & valetudine matris proximè accedit. Ratio præcepti est triplex. Prima, quia lac corpori infantis maxime est accommodatum: simile enim est ei alimento, quo foetus in utero

in utero materno fuit nutritus. Altera ratio sumitur ab exemplo reliquorum animalium: quae suos foetus in lucem editos, etiam aliquandiu lacte nutriunt: donec sibiipsis cibum querere possunt. Item ab exemplo eorum populorum, qui plurimo lacte & lacticiis utuntur, quorum corpora etiam sunt robustiora & elegantiora, & ad perferendos labores aptiora. Tertia ratio ab effectu. Quia lac, si bene coctum in ventriculo fuerit, facile in sanguinem convertitur, bonos humores gignit, corpus impinguat, & robustum beneque coloratum efficit.

Alterum praecipuum est. Nutrimentum infantum debet esse ἀοῖνον, id est, vini expers: quibus verbis videtur velle monere matres & nutrices, dum lactant infantes, non debere copioso vino uti: quoniam inde lac quoque calidius redditur: unde varia in illis generantur νοσήματα, id est, morbi praesertim cum ipsi alioquin calore abundant.

Ἐπὶ δὲ τῆς
κινήσεως ὁ-
σως ἐνδὲ-
χεται.

Quod est alterum praecipuum circa educationem infantum observandum?

Alterum praecipuum pertinet πρὸς τὴν κίνησιν, ad motum corporis. Corpora infantum moderato motu sunt exercenda, ut calor natus in illis excitetur: & vitiosi humores, quibus plerumque abundant, dissipentur. Motus autem ille fit, partim cum agitantur in sinu: partim dum gestantur in vlnis.

Quod

Quod est tertium præceptum?

Tertium præceptum pertinet ad consideranda mem-
brorum in tenera illa etate rectitudinem. Ca-
venda est διασποχή, distortio membrorum, per quæ-
dam ligamenta aut instrumenta: quæ à Varrone
vocantur Serperastræ: ne eorum corpora fiant gib-
bosa: aut crura vel brachia, quorum ossa sunt ad-
huc mollia & quasi cerea, incurventur aut distor-
queantur.

Quod est quartum præceptum?

Quartum præceptum pertinet ad aërem exter-
num, ambientem corpora nostra. Assuefaciendi
etiam sunt infantes, ut facile possint perferre frigus.
Primum, quia hoc conducit ad valetudinem: nam
externum frigus retinet calorem intrâ corpus, ne
dissipetur: & hoc modo concoctio ciborum fiat me-
lior. Conducit etiam hoc ad insequentem etatem:
ut postulante necessitate, non ita facile à frigore cor-
pora eorum ledantur. Confirmatur hoc ab exem-
plo & consuetudine quarundam gentium, quæ pro-
pter hanc causam recens natos solent immergere in
aquam frigidam: aut admodum tenui involvere
panno: ut frigus tolerare assuescant.

Quæ sunt observanda circa educationem puero-
rum, in tribus prioribus annis pueritiæ: Ter-
tio nimirum, Quarto & Quinto?

De his tribus prioribus annis pueritiæ Aristo-

Συμφέρει
δὲ ἐν τούτοις
ἡ ἀσπασία.

Ἐν τούτοις δὲ ἐ-
χρησιμώταται
ταύτης ἡ
λικία.

teles septem tradit præcepta esse observanda.

Primum. Pueri antè sextum annum, non sunt ducendi ad publicas scholas, neq; in alijs serijs laboribus exercendi: quia ingenij vires sunt adhuc perexiguæ: & per labores incrementum corporis posset nonnihil impediri.

Alterum. Sunt tamen pueris quædam exercitia corporis præscribenda, ne ocio & ignaviâ torpescant. Exercitia autem illa non debent esse valdè laboriosa, quibus corpora possent nimium fatigari: sed debent esse quasi simulachra & adumbrationes honestarum actionum: quæ illis aliquando, ubi adoleverunt, seriò erunt præstanda: ita ut quasi ludendo discant seria negocia tractare.

Καὶ εἰ
λόγων δὲ
μύθων.

Tertium. Puerorum tenelli animi sermonibus quibusdam & fabulis ludicris quidem, sed tamen de rebus honestis oblectandi sunt: quarum recordatio possit in futura ætate eos de rebus gravioribus utiliter commonefacere.

Quartum. Pueris non omninò prohibendi sunt ploratus, clamores, & vehementiores vocis contentiones: nam ista sunt quædam quasi exercitia corporis: per quæ nervi distenduntur, & vires corporis aliquo modo augentur & corroborantur.

Ἐπισκε-
πλέον δὲ
τοῖς παι-
δονόμοις.

Quintum. Cavendum est, ne pueri simul versentur cum servis, mercenarijs, & similibus abiectis hominibus: qui plerunq; tantum inter se nu-
gantur,

gantur, & turpia loquuntur atque agunt.

Sextum. Cavendum est, ne pueri turpes picturas, tabulas, aut statuas videant: per quas eorum animi possint excitari ad turpes cogitationes & imaginationes. De quare etiam Iuvenalis Satyra 14. nos admonet: Nil, inquit, dictu fœdum, visuq; hac limina tangat: Intrà quæ puer est. Idem quoque cavendum circa lectionem: ne legant impudicos poëtas, aut obscœnas fabulas & historias: imò propter hanc causam etiam Plato poëtas è sua Republica eijciendos esse censuit.

Septimum. Eandem ob causam non permit-

τὰς δὲ νεο-
τέρας, ἅτε
ιδίμεβων.

endum est pueris, ut sint spectatores Comœdiarū, in quibus persone inhonestæ de amoribus aut alijs lascivijs colloquentes introducuntur: aut turpes gestus representantur. Talibus enim rebus facile possunt teneri animi puerorum ita infici & corrumpi, ut eorum memoria vix postea possit illis eximi. Nam naturaliter sic comparatum est: ut prima semper magis afficiant animos hominum, & diutius inhereant, quàm posteriora: quemadmodum rectè Horatius ait: Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.

Διελθόν-
των δὲ τῶν
πέντε ἔτων.

Quid de duobus postremis annis pueritiæ Aristoteles præcipit?

Duobus postremis annis pueritiæ, anno nimirum quinto & sexto, usq; ad septimum, pueri de-

bent incipere esse spectatores seu prægustatores eorum studiorum & exercitiorum: in quibus perfecte cognoscendis, ipsi progressu temporis & ætatis, diligentius se debent exercere, & vitam suam consumere: ut eiusmodi aspectu & gustu, eorum animi ad illorum studiorum amorem magis accendantur & inflammentur.

Libër Octavus.

Quod est argumentum, & quæ sunt partes
Octavi Libri?

Hic Liber dependet ex fine præcedentis Libri: continuat enim institutam tractationem de ratione educandi & instituendi eos, qui aliquando boni & utiles cives in Repub. evadere debent: & quemadmodum in fine præcedentis libri egit περί τῆς τῶν παιδῶν ἀγωγῆς, de puerorum educatione: ita iam progreditur περί τῶν νέων παιδείαν, ad disciplinam & institutionem adolescentum, ab anno septimo, usq; ad annum vigesimum primum. Sunt autem tres partes huius libri: **PRIMA** continetur tribus primis capitibus, in quibus explicat tres quæstiones, in fine præcedentis libri propositas. Quarum prima est, *Vtram Legislatori & Politico cura suscipienda sit, circa institutionem adolescentum?* Altera, *Vtrum institutio adole-*
scentum

scendum debeat esse communis & publica: an verò
privata: Tertia, Quenam sint illa artes, in quibus
adolescentes sunt instituendi? ALTERA pars
libri est de Gymnastica, id est, de ratione exercendo-
rum corporum. TERTIA pars est de Musica.

CAPVT I.

Est ne Politico & Legumlatore considerandum
de Adolescentum institutione?

Ὅτι μὲν εἶναι
τῶν νομο-
τέτων.

Politico in constituenda Repub. etiam de adole-
scentum educatione & disciplina elaborandum
esse, probat Aristoteles duabus rationibus. Prima
sumitur à contrario. Nam nisi adolescentes dili-
genter instituuntur ad formam eius Reipublice in
qua versari debent: non poterunt convenienter se-
cundum leges eius Reipublice vitam suam insti-
tuere. Habet enim unaquæq; forma Reipublice
οἰκείον ἥθος, id est, propriam quasi naturam & in-
dolem: ad quam cives debent suos mores: actiones,
totamq; vitam conformare: quod nisi fiat, necesse
est formam Reipublice paulatim immutari & per-
verti. Altera ratio sumitur ab exemplo simili re-
liquarum artium & facultatum: in quibus neces-
se est præcedere doctrinam & institutionem: ante-
quam possit aliquis opus artificiosum efficere.

Quid hinc notandum?

Obiter notandum est hoc loco: Neminem debe-

re artem aliquã profiteri aut exercere, priusquam eam probè didicerit.

Ἐπει δὲ
ἐν τῷ τέλει
τῆ πόλει
πάση.

Hæc autem disciplina & institutio, debet necesse communis & eadem omnium: an verò privata & diversa singulorum?

Disciplina & institutio adolescentum in civitate, debet una, eadem, & communis omnium esse: primùm, quia unus idemq; finis debet omnibus civibus, quod ad civitatis utilitatem pertinet, esse propositus. Deindè, quia communium rerum etiam communis & eadem debet esse cura. Atqui adolescentes sunt commune quoddam bonum Reipub. Ergò eorum cura & institutio debet esse communis, hoc est, communiter ad omnes pertinere. Tertiò, quia cura partis debet referri ad curam & salutem totius. Adolescentes autem sunt pars civitatis. Ergò adolescentum cura & institutio referenda est ad communẽ utilitatem civitatis. Quartò, ab exemplo Lacedæmoniorum, quorum Respub. optimè fuit constituta: quibus communis & publica adolescentum institutio placuit.

CAPVT II.

Ἐκ τε τῆς
ἐμπροσθεν
μαδείας.

Quorsum dirigenda est omnis disciplina & institutio adolescentum?

○ *Omnia disciplina & institutio adolescentum eò dirigenda*

dirigenda est, ut discant ea, quæ ipsis per vitam sunt utilia, necessaria, & liberali ingenio digna: cuiusmodi sunt ea quæ hominis animum pulcherrimarum rerum cognitione imbuere possunt: aut ad preclaras actiones suscipiendas & agendas excitare. Sic etiam infra in cap. 5. præcipit: Oportet, inquit, nihil ita discere, & ad nullam rem magis assuescieri: quàm ut rectè possimus iudicare: & gaudere bonis moribus & honestis actionibus. δὲ δὴλον ὅτι μανθά-
νειν, καὶ συνεδίξεσθαι μηδὲν ἕτως: ὡς τὸ κρίνειν ὀρ-
δῶς, καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ὀπαικῆσιν ἢ δεσι, καὶ ταῖς καλαῖς
πραξιῶσιν.

Quæ dicuntur artes illiberales?

Artes illiberales ab Aristotele nominantur τέ-
χναι βάναισαι, & definiuntur esse, Quæ liberorum
hominum corpora, animumq; & mentem ad usus
& actiones virtutis inutilia reddunt: vocantur
etiam τέχναι μιδαρνηαὶ, artes mercenariae: et quia
inquinant corpus, à Latinis etiam artes sordida ap-
pellantur: cuiusmodi sunt pleræq; artes Μοεχα-
νικαὶ, maximè verò, quæ opera sua apud ignem &
fornaces efficiunt: propter carbones & fuliginem,
quibus corpora inquinantur. Aristoteles: βάναι-
σον δὲ ἔργον εἶναι τὸ τοιοῦτον νομίζειν, καὶ τέχνῳ πῶτῳ καὶ
μάθησιν, ὅσα πρὸς τὰς χεῖρας καὶ τὰς πράξεις, τὰς τῆς
ἀρετῆς ἀχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέ-
ρων, ἢ πῶς ψυχῶν, ἢ πῶς διάνοιαν.

Ὅτι μὲν εἶναι
τὰ ἀναγκ-
καὶ αὐτῶν.

Ἔστι δὲ τῶν
ἐλευ-
θερίων.

Quid prætereà monet observandum esse in arti-
bus liberalibus discendis ?

Monet Aristoteles in artibus liberalibus discendis modum servandum esse: ἕως ἄρα τίνος aliquis illis incumbendum: ἢ μὴ λίαν προσεδρεύειν πρὸς τὸ ἐπιτελῆς, hoc est, non nimium illis affixum esse, usq̄ ad Perfectionem: quia perfecta ἔσται absoluta alicuius artis cognitio vix in hac vita potest comparari.

Habes ne simile præceptum apud Ciceronem ?

Cicero in lib. 1. Offic. ait, duo vitia in artibus discendis cavenda esse. Vnum, ne incognita pro cognitis habeamus: ijsq̄ temerè assentiamur. Alterum: ne nimis magnum studium, multamq̄ operam in res obscuras atq̄ difficiles, easdemq̄ non necessarias conferamus.

Obiectio. Atqui sæpenumerò etiam hæ sordidæ artes suam habent, in civili vita, necessariam utilitatem ?

Responsio. Verum quidem est: Homines in quotidiana vita illis artibus earumq̄ operibus, non posse omninò carere. Sed hoc loco videndum est, τίνος χάριν, cuius gratia quispiam illas discit aut exercet. Nam si id facit sui ipsius, aut amicorum, aut virtutis alicuius exercendæ gratia: non est hoc illiberale aut sordidum. Si verò facit propter aliam causam

causam, videlicet ut inde questum ab alijs accipiat: Mercenarium quidam hoc est, & servile.

CAPVT III.

Quæ sunt illæ artes, in quibus veteres solebant suos adolescentes primùm instituere & exercere?

ἔστι δὲ τέτταρα ἧστ' δὸν ἄνωγειν.

Quatuor, Grammatica, Gymnastica, Musica, & Graphica, id est, Pictoria, seu ars pingendi.

Quare in istis potissimùm artibus suos adolescentes voluerunt instituere?

Quoniam, cum vita hominum distributa sit in duo præcipuè tempora, quæmadmodum supra dictum fuit: nimirum in tempus ocij & pacis: & in tempus negocij & belli: in utraq; vita harum artium magnus est usus. Vnde apud Terentium in Eunucho, Parmeno volens commendare suum Eunucho, tanquam hominem solertem, harum artium facit mentionem: sic eum alloquitur: Fac periculum in literis: fac in palestra: fac in Musicis: quæ liberum scire adolescentem, æquum est.

Quare in utraq; vita opus est aliqua arte?

Primùm, ut homo sciat ὀρεῖσθαι ἡσυχίᾳ, rectè ocio & pace uti & frui: siquidem, ut in proverbio dicitur, Ocia dant vitia: & Ovidius ait: Luxu-

riant animi rebus plerunq³ secundis. Deinde ut etiam possit καλῶς ἀχολεῖν, rectè in negocijs & circa actiones versari: quoniam circa illas plurimis modis possunt homines errare & peccare. Unde rectè Cic. dixit: Ita vivendum esse, ut sciamus, nobis non solum negocij, verum etiam ocij rationem reddendam esse.

Distingue igitur has quatuor artes iuxta hæc duo tempora?

Musica, teste Homero, inservit ocio & hilaritati: per eam enim animi post labores, honesta voluptate recreantur: quæ recreatio etiam homini necessaria est, & propter se expetenda: siquidem propter eam etiam homini à DEO tributus est somnus, & concessa quies. Reliquæ autem tres artes ad negocia & labores necessariae sunt: & vel referuntur ad animi culturam, ut Grammatica, cuius cognitio necessaria est ad omnes alias disciplinas cognoscendas: item Graphica, quæ utilissima est ad iudicandum de quibuslibet artificum operibus: utrum secundum suam proportionem rectè sint facta: vel referuntur ad corpus: ut Gymnastica, quæ utilis est ad exercitia corporis: quorum permagnus est usus ad tuendam valetudinem, ad confirmandum robur & vires corporis, ad actiones fortitudinis melius prestandas. Sed de harum artium utilitatibus, postea sigillatim quoque dicendum erit.

Dixisti

Dixisti Musicam inservire ocio: quare ocium
concessum est hominibus?

*Propter necessitatem naturæ, quæ non potest
continuos labores perferre: sed requirit aliquam
interspirationem & recreationem, per quam possit
vires laboribus fractas et defessas recolligere: quem-
admodum dicitur: Quod caret alternâ requie, dura-
bile non est: Hæc reparat vires, membra quæ fessa levat.*

Quale ocium hoc loco Aristoteles intelligit?

*Non intelligitur hoc loco iners & ignavum, at quæ
turpe illud ocium, quod nugando & ludendo à ple-
ris quæ traducitur: sed liberale & honestum ocium,
quod non minus suas in se habet utilitates in hac ci-
vili vita, quam ipsum Negocium. Quemadmo-
dum etiam per τὴν ἀρχολίαν, non solum intelligitur
vita laboriosa: qualis est agricolarum, opificum,
mercenariorum, et similiarum, qui assiduis laboribus cor-
poris fatigantur: sed etiam vita politica, quæ in civili-
um negociorum & Reip. administratione versatur.*

Quotuplex igitur est ocium?

*Quemadmodum vita alia est Theorica, quæ in
contemplatione & cognitione rerum versatur: alia
Practica, quæ in actionibus civilibus est occupata:
Ita etiam duplex est ocium: unum Practicum, al-
terum Theoricum.*

Quid est Practicum ocium?

*Practicum ocium est cessatio à laboribus corporis, ad
reparan-*

reparandas eius vires laboribus fractas & defatigatas, ut homo postea alacrior ad labores redire possit. Quæ cessatio nominatur ἀνάπαυσις, quies, seu requies: est quæ non solum homini, sed etiam omni animalinecessaria: quemadmodum paulo antea dictum fuit.

Quid est ocium Theoricum?

Ocium Theoricum, est quedam remissio & conversio animi, à seria contemplatione rerum difficultium & abstrusarum, ad cogitationem & meditationem rerum iucundarum: per quas animus non nihil recreatur, ut postea rursus eò facilius maiora & graviora contemplari possit.

Εἰ γὰρ ἄμ-
Φωμὸν δὲ,
μῦλλον.

Quare expetendum est ocium?

Ocium nequæ propter se est expetendum, quia non habet rationem finis: neque etiam propter ludum: quemadmodum à plerisque fieri solet: quia etiam ludus non habet rationem finis. Nec enim, ut Cic. lib. 1. Offic. inquit, ad ludum & iocum à natura facti sumus: sed potius ad severitatem, & ad quedam studia graviora atque maiora. Sed expetendum est ocium propter negocium, hoc est, ut post ocium alacriores reddamur ad perferendos labores.

Quomodo utendum est ocio?

Tempestivè & moderatè, tanquam pharmaco contra molestias, quas ex laboribus percepimus. τὸ

γὰρ

γὰρ ἀχολεῖν συμβαίνει μετὰ πόνου, καὶ συνίονίης: διὸ
 τὸ δὲ παιδείας εἰσάγεσθαι, καὶ ἐφυλακτέντας τὴν
 χεῖρσιν: ὡς περὶ ἄλλων φαρμακείας χάειν.

Dixisti Musicae usum esse tempore ocij: reliqua-
 rum verò trium artium usum esse tempore
 Negocij: dic igitur de Grammatica,
 quam habet utilitatem in
 vita civili?

Ὅτι μὲν
 τοῖνον ἐστὶ
 παιδεία
 τίς.

*Aristoteles hoc loco quatuor commemorat uti-
 litates Grammaticæ. Prima est, quòd Gramma-
 tica, hoc est, cognitio literarum, & facultas legen-
 di atq; scribendi utilis est πρὸς χρηματισμὸν, id est,
 ad rationes pecuniarias & questuarias in confici-
 endis tabulis acceptorum & expensorum: quæ ne-
 cessariae sunt mercatoribus, numularijs & usura-
 rijs, quorum vite genus ad questum & lucrum est
 directum.*

*Altera utilitas pertinet πρὸς οἰκονομίαν, ad
 rem familiarem utiliter administrandam. Nam
 Patrifamiliàs ad plurimas res necessarium & utile
 est, posse legere & scribere, quemadmodum quoti-
 diana testatur experientia.*

*Tertia utilitas maxima est πρὸς τὴν μάθησιν,
 hoc est, ad omnes alias artes & disciplinas traden-
 das, discendas, & cognoscendas: ad eas enim ipsa a-
 ditum facit, & primam quasi ianuam aperit: per
 quam ingredi oportet in arcem Palladis.*

Quarta

Quartò utilis etiam est Grammatica seu facultas hac legendi & scribendi, πρὸς πολλὰς πρῶξις πολιτικὰς, ad multas actiones civiles, quæ opus habent scriptura & consignatione: ne earum memoria citò pereat: ut in scribendis legibus, in annotandis historijs, & annalibus, quæ ad posteritatem sunt transmittendæ: in consificiendis publicis instrumentis contractuum: in confirmandis fœderibus: in consignandis ijs, quæ vel in senatu, vel in foro, & iudicijs aguntur & decernuntur: in scribendis literis ad absentes: & quod maximum est, in legendis sacris libris: quorum lectio utilis est, teste Apostolo, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in iustitia: ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Quæ est utilitas Graphicæ?

Δοκεῖ δὲ
ἢ γραφικὴ
ἢ χημικὴ
μορφῶν.

Ἡ Γραφικὴ, ars pingendi seu pictoria, utilis est πρὸς τὴν διαγραφὴν τῶν χημάτων, καὶ εἰκόνων, id est, ad delineandas & exprimendas rerum obiectarum formas, figuras, & imagines: item πρὸς τὸ κεῖναι πρὸς τῶν σκευῶν, καὶ πάντων ὀργάνων, hoc est, ad iudicandum de operibus artificum, quo ad eorum formam & figuram attinet: utrum omnes eorum partes debita proportione sibi mutuò correspondeant. Denique idoneum reddit contemplatorem formæ & pulchritudinis corporum:

τοιαύτῃ

ᾧ εἰς θεωρητικὸν τῷ ᾧ εἰς τὰ σώματα κάλλος.

Quæ est utilitas Gymnasticæ?

Gymnastica seu ars exercendorum corporum, quæ aliàs quoque palestra nominatur, utilis est, ᾧ εἰς τὴν ὑγίειαν, ad conservandam sanitatem: quæ absque moderatis exercitijs diu conservari non potest. Deinde, Utilis est ᾧ εἰς τὴν εὐεξίαν, ad bonam corporis habitudinem in generandam. Tertio, prodest ᾧ εἰς τὴν ἀλκὴν, ad robur & vires corporis augendas & confirmandas. Quarto, confert ᾧ εἰς τὴν ἀνδρείαν, id est, ᾧ εἰς τὰ ἔργα τῆς ἀνδρείας, ad actiones fortitudinis melius præstandas.

In qua autem arte, ex prædictis artibus, pueri seu adolescentes primò sunt instituendi?

Ἐπεὶ ἡ φρονεσιμότης πότερον τοῖς ἔθεσι.

In arte Gymnastica, quæ circa corpus versatur, cuius culturam debere animi culturam præcedere, supra in 15. cap. præcedentis libri dictum est.

OBSERVATIO.

Gymnasticæ etiam cognata est ἡ παιδοτεχνικὴ, quæ est facultas instituendi pueros, ut aptiores & agiliores ad corporis exercitia, & actiones præstandas efficiantur. Et est species quædam Gymnasticæ, à qua differt, quòd præcipuè circa seria exercitia: Gymnastica autem circa ludicra est occupata.

Quid

Quid prætereà in hoc capite Aristoteles præcipit generatim in omnibus artibus & disciplinis tradendis aut discendis, obseruandum esse?

In artibus tradendis aut discendis, non præcipuè spectandum est, quàm necessaria aut quæstuosæ sint: sed potius utrum sint honestæ, & liberali cognitione dignæ: etiamsi non adferant discenti magnum commodum aut lucrum. Ratio. Nam in omnibus rebus & actionibus suscipiendis, solum spectare quæstum aut lucrum, minimè decet viros ingenuos & magno animo præditos: eos præsertim qui aliquando ad publica officia in Republica administranda sunt adhibendi.

CAPVT IV.

Quid est Gymnastica?

Γυμνασικὴ δὲ τὴν τέχνην, ἢ ποιάντινα τὴν ἐξίτητον τῶν σώματος ποιῆναι. *Gymnastica est ars, quæ habitum corporis qualitate aliqua affectum reddit: hoc est, per quam habitus corporis corroboratur, & ad labores atq; exercitia præparatur.*

Quot sunt eius species?

Tres: Vna dicitur ἀθλητικὴ, Athletica, hoc est, publicis certaminibus accommodata: quæ est immoderata, dura & aspera exercendi ratio: ijs athleticis seu certatoribus præscripta, qui ad publica certamina,

certamina, victoriæ causa, descendere volebant. Altera species nominatur ἀραιμὲν, quasi Remissa seu languida. Tertia species est μέση, moderata: & quasi media inter duram & languidam exercitationem corporis.

Quod est Aristotelis de his tribus Gymnasticæ speciebus iudicium?

Aristoteles priores duas species improbat, eò quòd partim in excessu, partim in defectu peccant: Tertiam autem, quia modum servat, admittit.

Quare athleticam exercendi corpora rationem improbat?

Primum, quia eiusmodi dura & immoderata exercitia deformant corpora: reddunt enim ea crassa, distorta, dura, callosa, lacertosa, & ut Columella lib. 7. loquitur, compacta: qualia sunt plerunq; corpora servorum, baiulorum, rusticorum, & opificum. Deinde, quia eiusmodi violenta exercitia impediunt operationem naturæ, in incremento corporum: ne possint ad instam suam magnitudinem & proceritatem crescere: ut testatur etiam Quintil. lib. 12. Tertio, quia per talia exercitia homines feroces potius & immanes efficiuntur, quàm fortes & cordati, in periculis adeundis aut perferendis. Quarto ab exemplo Lacedæmoniorum: qui licet in hoc genere exercitiorum suos

ἢτε ἢ
πρὸς ταῦτα
πλὴν ἔστι
τοῦτο.

Dd

adolescentes diligentissime exercebant: tamen non semper hoc illis profuit ad victoriam, quando cum alijs Græcis, quibus moderata exercitia magis placuerunt, ipsis pugnandum fuit: qui tandem eorum potentiam fregerunt, & se ab eorum dominatu liberarunt. Quintò ab exemplo Olympicorum victorum, quorum pauci reperti sunt: qui licet in adolescentia & iuventute semel atq̄ iterum celebres victores extitissent, tamen postquam ad virilem aetatem pervenissent, idem prestare non poterunt: propterea quod per dura illa & violenta exercitia, corpora eorum fuissent nimium debilitata, & quasi enervata & fracta. Sextò, quia ista assidua & dura corporis circa talia exercitia fatigatio impedimento est, quò minus interea animus ad reliquarum virtutum actiones possit exerceri.

Quare alteram speciem improbat?

Quoniam nulla aut nimis remissa & languida exercitia plurimum nocent corporibus: propterea quòd nimio ocio humores in corporibus putrescunt: undè necesse est multos tandem generari morbos. Reddunt etiam homines molles & ignavos, ut sint inutiles ad labores perferendos.

Ὅτι μὲν
ἐν γρησέον
τῇ γυμνα-
στικῇ.

Quare probat tertiam speciem?

Quia moderata exercitia plurimum conferunt & ad robur, & ad valetudinem corporum. Excitant

tant

tant enim & augent calorem nativum : iuvant concoctionem & digestionem ciborum : consumunt & expellunt vitiosos humores : resistunt putredini : corpori præbent vividum calorem : & plura alia in se habent commoda, de quibus in precedente capite etiam quedam dicta fuerunt.

Quo pacto igitur utendum est exercitijs ?

Tria de hac re ab Aristotele traduntur præcepta : quorum primum pertinet ad postremos annos pueritiae, usq; ad initium pubertatis. In quibus præcipit pueris usq; ad pubertatem præscribenda esse leviora exercitia : neq; eos cogendos esse ad ἀναγυροφάγαν, hoc est, ad nimium cibum assumendum, qualis solebat athletis præscribi : neq; cogendos esse ad violentos labores, quibus corpora nimium fatigantur : quoniam hæc omnia impediunt τὸ τῷ σώματι αὐξήσασθαι, id est, corporis incrementum : quod in hac maximè fieri debet.

Alterum præceptum. Tres anni post pubertatem tribuendi sunt alijs artibus & disciplinis, in quibus ingenia adolescentum sunt exercenda.

Tertium præceptum. Elapso triennio post pubertatem, paulatim labores illis sunt augendi, & graviora exercitia cum illis suscipienda : ad quæ etiam necesse fuerit, ut copiosiore cibo utantur, ad augendas & confirmandas vires corporis, ut quan-

Ὅταν δὲ
αὐτὸ ἦβης
ἔτη τρία
ᾤσῃ τοῖς.

titas cibi correfpondeat exercitijs corporis.

Quare aliqui anni folis exercitijs ingenij, & non etiam fimul corporis funt tribuendi?

Quia non poffunt fimul & animo & corpore vehementer laborare: hi enim labores fe mutuò impediunt. Labores enim corporis impediunt mentem, quò minùs poffit commodè fuis contemplationibus vacare. Et contrà, Labores ingenij impediunt naturales corporis operationes, in eo nutriendo & augendo: ficuti videre licet in ijs, qui perpetuò libris incumbunt, quòd funt plerunq; pallidi, macilenti, pituofi, & valetudinarij. Quia fpiritus animales, qui debebant inuare concoctionem ciborum, impediuntur in fuo munere ab animi operationibus, quæ circa alia obiecta occupantur.

CAPVT V.

Quid eft Musica?

Mufica vulgò definitur, quòd fit ars benè canendi. Aristoteles hoc loco eã definit à proprio eius effectui: ἡ μουσικὴ ἐστὶ τέχνη, ἡ ποιεῖν τινα ποιῆσαι τὴν ἐξίτητον τῆς ψυχῆς. Musica eft ars, quæ habitum animi qualitate aliqua affectum reddit.

Περὶ δὲ
μουσικῆς ἐ-
στὶν ἄρ.

Quid de hac arte Aristoteles præcipuè Politico confiderandum effe monet?

Aristoteles ftatim in initio capituli duo monet circa Musicam effe confideranda. Primum, τίνα ἔχει δύναμιν,

δύναμιν, quam habeat vim & efficaciam: deinde, τίνος χάριν δὲ μετέχειν αὐτῆς, cuius rei gratia eam oporteat discere & scire. Vtraq; autem hæc questio potest referri ad unum caput, nempe ad finem seu usum, propter quem Musica sit discenda.

Quis est igitur ille finis seu usus, propter quem Musica est discenda?

Triplices sunt opiniones hominum de fine Musica. Quidam enim existimant Musicam solum propter τὴν παιδίαν, id est, lusum, oblectationem, & voluptatem discendam atq; exercendam esse. Alij verò aiunt Musicam discendam & exercendam esse, ὡς τὴν ἐν τῇ ᾠδῇ διαγωγὴν: vel ut infra in cap. 7. se explicat: ὡς τὴν ἀνεσιν, καὶ τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν, hoc est, ut homines possint habere in ocio honestam à gravioribus & serijs studijs intermissionem & relaxationem. Alij deniq; sunt, qui existimant eam παιδείας χάριν, hoc est, morum conformandorum gratia discendam esse: quia magnam vim habet ad commonendos animos, & excitandos affectus.

Quid ad hæc Aristoteles?

Aristoteles primùm generatim respondet ad has opiniones: & ait Musicam ad omnia hæc tria esse utilem, inquiens: ἡ μουσικὴ εὐλόγως εἰς πάντα ταῦτα τίτλεται, καὶ φαίνεται μετέχειν. Deinde ve-

Πότερον
παιδείας
ἐνεκα καὶ
ἀναπαύ-
σεως.

vò seorsim de his tribus finibus agit: & quatenus Musica illis inserviat, ostendit.

Quid igitur ad duas priores opiniones respondes: Est ne in Musica aliqua voluptas & oblectatio?

Etsi Musica non propter voluptatem præcipuè discenda aut exercenda sit: tamen eam magnā vim ad oblectandos hominū animos habere, nemo negare potest. Quod Aristot. probat, primūm ex communi hominum iudicio & factō: qui propter hanc ipsam causam, ὡς δυναμένω εὐφραίνειν, solent adhibere in convivijs, & in iucundis congressibus, qui animi recreandi gratia instituuntur & suscipiuntur. Deinde id ipsum confirmat testimonio Euripidis, qui ait Musicam pellerē animi curas & tristitiam: item Musæi vetustissimi Poætæ, qui dixit, ἡδίστον ἔσολοῖς εἶναι αἰδέσθαι: Mortalibus iucundissimum esse canere. Tertiò, ab eius effectu: quòd eandem vim habeat in recreandis animis hominum post labores, quam habet somnus & largior vini potus, ipsaq; ἀνάπαυσις, quies: quæ omnia sunt veluti ἰατρῆια τῆς λύπης, ἢ δὲ τῶν πόνων, medicina contra molestias, quæ ex laboribus solent percipi. Quartiò quia propter hanc ipsam causam Musica aestimatur, iuvenili ætati, cui voluptas quædam & recreatio concedenda est, præcipuè convenire: ut in ea potius

tius

tiùs adolescentes sese exerceant & oblectent: quàm
in alijs inutilibus & parùm honestis lusibus.

Obiectio. Atqui sunt aliqui, qui existimant Mu-
ficam propter has duas præcipuè causas discen-
dam esse: ut vel nos canendo & ludendo oble-
ctare: vel de aliorum cantionibus &
melodijs rectiùs iudicare
possimus?

Α'λλ' ἰσως
αὐτὸ δόξειεν
ἢ τῶν παι-
δῶν.

Solutio ab exemplo simili. Quemadmodum ijs,
qui cum voluptate cibos capere, vel de cibis benè
preparatis rectè iudicare cupiunt, non necesse est, ut
propterea τὴν ὀψοποιεῖν αὐτῶν, artem preparandi ci-
bos discant: sed maiore voluptate ab alijs prepara-
tos comedunt, & de illis iudicant: ita non necesse
est eos, qui ex Musica voluptatem capere, aut de
Musicis harmonijs iudicare cupiunt, propterea ar-
tem ipsam discere.

Quomodo confirmatur hæc similitudo?

Hanc similitudinem Aristoteles primùm con-
firmat exemplo Iovis: qui, ut poëta fingunt, cum
se oblectare vult, non ipse canit aut cithara ludit:
sed ad eam rem utitur opera Apollinis. Deinde e-
xemplo Regum Persarum & Medorum: qui etiam
proprijs suis habent cantores, tibicines, citharœ-
das, & similes alios Musicos tam vocales, quàm
instrumentales, ad oblectandos auditores, mercede
conductos. Tertio ab exemplo Lacedæmoniorum,

Dd 4

qui licet ipsi propter disciplinae severitatem, in qua sunt educati, Musicam non discerent: tamen dicuntur optimè potuisse iudicare de suavitate & bonitate cantionum. Itaq; πρὸς εὐνημερίαν, καὶ διαγωγὴν ἐλευθέριον, id est, ad vitam in ocio honestè & liberaliter transigendam, non necesse est nos ipsos artem Musicam discere: sed facilius & perfectius illud consequi poterimus, si alios Musicos, qui in hac arte sunt exercitati & celebres, audiverimus: praesertim cum ipsum discere, τὸ μάνα δάμειν, non sit absq; molestia & labore.

Περὶ δὲ
τῆς ἡθικῆς
ὠφελείας τῆς
μουσικῆς.

Dixisti de voluptate & jucunda conversatione, quam beneficio Musicae homines habere possunt: Quid autem de tertio fine seu usu Musicae Aristoteles tradit, nempe quòd ea utilis sit πρὸς τὴν παιδείαν, id est, ad institutionem & ad informandos mores, & excitandos animos hominum, πρὸς τὴν ἀρετὴν, καὶ τὰς ἡθικὰς πράξεις, ad virtutem & honestas actiones?

Hunc tertium finem & usum Musicae Aristoteles affirmat esse πρῶτον, praestantiorē, quàm sint duo priores. Nam hunc voluptatis sensum homines communem habent cum quibusdam bestiis: quae, ut Cic. in Orat. pro Archia ait, etiam dulcedine cantus interdum flectuntur: sicut poëtae fabulantur de Arione, quòd etiam Delphines, cum Cithara luderet, ad eum fuerint congregati. Notum etiam

etiam est, Elephantes & equos sonitu tubarum incitari, & animari ad bellum atq; pugnam. Hic verò tertius finis & usus Musicae, propriè pertinet ad permovendos, & flectendos atq; excitandos animos hominum ad amorem virtutis, & honestarum actionum: & ad odium vitiorum & turpium actionum. Quam ad rem Plato in libro tertio de Repub. scribit, Musica tantam vim esse: ut mutata in aliqua civitate Musica, simul etiam soleant mutari mores civium, & status totius civitatis. Cui sententiae quoq; astipulatur Cicero: qui in lib. 2. de Legib. sic scribit: Assentior, inquit, Platoni: nihil tam facile in animos teneros atq; molles influere, quam varios canendi sonos: quorum vix dici potest, quanta sit vis in utramq; partem. Namq; & incitat languentes, & languefacit incitados. Et tum remittit animos, tum contrahit: civitatumq; multarum in Graecia hoc interfuit, antiquum vocum servare modum. Quarum mores lapsi ad molliem pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelaq; depravati, ut quidam putant.

Quibus argumentis Aristoteles hoc probat?

Sex. Primum sumitur à Cantilenis & Melodis Olympi, celebris quondam Musici: quae existimabantur eam vim habere, ut animos audientium ενθουσιασμων, hoc est, furore quodam implerent.

Αλλὰ μὲν
ὅτι γυνόν
μεθὰ Ἀγί
των.

D d 5.

Alterum sumitur ex loco comparatorum à minore: Si fabularum aut aliarum rerum gestarum nude narrationes absque sono & concentu musico possunt animos audientium letitia vel tristitia aliqua afficere, aut alio aliquo modo immutare: multò magis illud potest per harmoniam Musicam effici. Sed antecedens verum esse experientia testatur. Ergò.

Ἐπεὶ δὲ
συμβέβη-
κεν εἶναι.

Tertium argumentum sumitur ab effectu artis Musica. Quicquid facit nos rectè iudicare, & gaudere circa honestas actiones: illud ad mores formandos & ingenerandum habitum virtutis est utile. Sed Musica harmonia ista præstat. Ergò Musica ad mores formandos est accommodata.

Quartum argumentum sumitur à natura animi, ex loco similium. Similia afficiuntur à similibus. Animus autem magnam habet similitudinem cum harmonia Musica: unde etiam Pythagoræi & quidam Platonici dixerunt, τὴν ψυχὴν ἢ εἶναι, ἢ ἔχειν ἀρμονίαν. ut est apud Platonem in Phædone. Ergò Musica magnam vim habet afficiendi animos hominum.

Quintum argumentum sumitur ex differentia harmoniarum: quarum Aristoteles hoc loco quatuor videtur recensere. Quædam enim ἀρμονίαι sunt ἰσορροπαῖ, querule & lugubres: quæ animum ad fletum, lachrymas, & in cerorem commovent: quæ
propterea

propterea à Platone in lib. 3. de Repub. ἰσχνώδεῖς, lachrymose nominantur. *Quædam* nominantur χαλαροὶ, ἢ μαλακοὶ, resoluta & molles: quibus leviter animus afficitur: ita ut nonnihil languescat. *Quædam* appellantur μέσοι, medio modo se habentes: quæ animum nequæ vehementer, nequæ etiam nimis leviter afficiunt. *Quædam* denique vocantur ἐνθουσιαστικὰ, quasi furibundæ, quæ vehementiores & propè furibundos motus excitant in animis audientium.

Sextum argumentum sumitur ab efficacia orationis numerosæ in versibus et Rhythmis poetarum, qui ad certos numeros syllabarum atquæ pedum sunt compositi: quorum propter solam numerorum harmoniam, ea est vis: ut etiam si solum recitentur aut legantur: tamen possint animos hominum aliquo modo afficere & commovere: adeò ut etiam ipsi Oratores, quò magis auditores suos permoveant, soleant quosdam numeros in periodorum clausulis observare. Et ipsæ Aristoteles in Rhetoricis laudat orationem εὐρυθμὸν, concinnam & numerosam.

Quomodo concludit Aristoteles hunc locum?

Quoniam igitur, inquit, tanta vis est Musicæ in commovendis, excitandis, & mutandis animis hominum: ideò nemini dubium esse potest, quin utile sit, adolescentes in ea instituere & exercere: præsertim cùm ista ætas maximè ducatur affectibus et delectetur

Ἐκ μὲν ἐν
τέταιν φα-
νερόν.

delectetur rebus & actionibus iucundis: ista autem exercitia non solum sint ἡδέα, iucunda: verum etiam ἀβλαβῆ, innocua: imò etiam utilia ad honestam in ocio ἀνάπαυσιν, καὶ διαγωγὴν, recreationem & vitæ traductionem.

CAPVT VI.

Quotuplex est Musica?

Πότερον δὲ
θεῖ μανθάνειν
αὐτοῦ
ἐστὶ.

Musica duplex est, una Theorica, altera Practica. Theorica est, quæ in sola contemplatione proportionis vocum & sonorum Musicalium: & in cognitione præceptorum artis Musicae consistit. Practica autem est, quæ actu ipso exercetur: estq; duplex, vel Vocalis, quæ tantum humana voce constat: vel Instrumentalis, per quam artificiosa instrumentorum Musicalium pulsatione, aut inflatione, suavis concentus efficitur. Hæc ab Aristotele hoc loco χειρουργικὴ, id est, manualis appellatur: eò quòd manuum seu digitorum agilitate ad eam opus est.

Est ne utraq; adolescentibus discenda & exercenda?

Adolescentes utramq; Musicam non solum quo ad cognitionem præceptorum, sed etiam quo ad usum & exercitationem debent discere: ut & voce canere, & instrumentis ludere possint.

Αὐτὴ μὲν
ἐν ἑστῇ τοῖς
ἡπείροις.

Quibus rationibus Aristoteles hoc confirmat?

Tribus: quarum prima sumitur à vi & efficacia Musicae

Musicae

Musica in commovendis animis, et formandis moribus: de qua re etiam in precedente capite dictum fuit. Est autem tale argumentum. Qua arte animi & mores adolescentum possunt excitari & informari: in ea adolescentes non solum quo ad cognitionem, sed etiam quoad usum eius attinet, sunt exercendi. Sed ars Musica est talis: ut patet ex superioribus. Ergo.

Quæ est altera ratio!

Altera ratio sumitur ἀπὸ τῆ ἀδυνατῆ, ut inquit Aristoteles: Quia nemo potest de artis alicuius præceptis aut operibus rectè iudicare: nisi etiam ipse præceptorum eius habeat perfectam cognitionem: & ipse quoq; eiusdem artis opera probè possit efficere. Quia autem adolescentes aliquando debebunt de Musico concentu iudicare: igitur necesse est, ut etiam ipsi eam discant, & in Musicis actionibus se exerceant.

Quæ est tertia ratio?

Tertia ratio sumitur à circumstantia ætatis. Quibus propter ætatem concedenda sunt iucunda & honesta exercitia, ijs utile est ut Musicam discant & exerceant. Sed pueris & adolescentibus concedenda sunt iucunda & honesta exercitia. Ergo. Minor probatur à natura puerilis ætatis, & adolescentiæ: quæ talis est, ut nunquam possit esse ociosa: propter quam causam etiam Archytas Tarentinus

*Ἄμω δὲ
καὶ δὲ τῆς
παῖδας ἐκ
χρῆν.*

Tarentinus

rentinus excogitavit crepitaculum, quo sese oblectarent, & tempus fallerent: ne quid ex vasis domesticis frangant.

Τὸ δὲ πρέ-
πον ἢ τὸ
μὴ πρέ-
πον.

Obiectio. Est ne βάναισον, hoc est, sordidum & illiberale quiddam coram alijs canere: aut cithara vel alio instrumento ludere?

Solutio. Hæc & eiusmodi alia mercedis gratia facere, seq̄, in his ad alterius voluntatem & voluptatem accommodare, servile & sordidum est: magisq̄, convenit mercenarijs, servis, atq̄, mancipijs: qui ad aliorum nutum vivere coguntur: sed tamen per se non est inhonestum, talia animi recreandi gratia facere, si servetur decorum.

In quibus consistit istud decorum?

Aristoteles enumerat quatuor circumstantias, quæ hic sunt consideranda: Personam, Modum, Qualitatem cantionum, & Instrumenta.

Circa personam quid observandum?

Duo circa personam sunt consideranda. *Ætas*, & *vite conditio*. Etenim pueris & adolescentibus magis convenit in publico & aliorum presentia canere, aut instrumentis ludere: quàm senibus aut ijs, qui in aliqua dignitate sunt constituti: quorum vite conditio requirit, ut tueantur suam gravitatem & auctoritatem: quibus magis competit, ut de adolescentum exercitijs indicent, eaq̄ moderentur: quàm ut ipsi eadem alijs exhibeant.

Quid

Quid de altera circumstantia, quæ est τῆ τροπῆ,
id est, Modi, præcipitur?

Περὶ δὲ
τῆς ἐπιτι-
μῆσεως.

Quemadmodum in omnibus alys rebus & a-
Etionibus modus servandus est, quem ultra citraq;
nequit consistere rectum, ut Poëta ait: ita etiam in
Musicis exercitijs modus quidam servandus est: et
illis, ut Aristoteles loquitur, μέχει τῆ, aliquousque
saltem opera danda, & terminus aliquis constitu-
endus, ultra quem non est progrediendum: nimi-
rum quatenus illa non impediunt graviora & ma-
gis necessaria studia: & quatenus excitant animos
nostros, ut sint promptiores & alacriores, ad civiles
actiones obeundas. Denique quatenus corpus no-
strum non reddunt ignavum, molle, & inutile ad
bellicas exercitationes: ut & in bello & in pace pos-
simus utiles esse Reipub. nostræ cives. Proinde satis
fuerit adolescentes hanc artem eò usq; discere &
exercere: donec possint rectè de bonis vel vitiosis
harmonijs & cantionibus Musicis iudicare: & si
opus fuerit, seipsos quoq; ex hac arte oblectare.

Quales debent esse cantiones & Melodiæ, in qui-
bus adolescentes sunt exercendi?

Quoniam variæ sunt differentie harmoniarum
et Melodiarum, secundû quas etiam diversis mo-
dis animi afficiuntur: quemadmodum partim in
precedente capite dictû est: partim etiam in sequen-
ti capite explicabitur: ideò monet Aristoteles, in
eiusmodi

eiusmodi solum cantionibus et Melodijs adolescentes exercendos esse, quæ conferunt ad conformandos bonos mores, & excitandos eorum animos, ad amorem virtutis et honestarum actionum. Præterea non proponendas illis esse difficiles cantiones, in quibus ipsi artifices, propositis præmijs, inter se solent certare, qui nam sint perfectiores & præstantiores Musici: sed satis esse, si eiusmodi cantiones ipsis proponantur, ex quibus mediocrem huius artis cognitionem & usum comparare possint.

Δῆλον δὲ
ἐκ τούτων
ὅτι ποίσις.

Qualibus instrumentis uti debent in exercitio
Musico?

Varia sunt instrumenta Musicalia, per quæ, cum vel inflantur, vel digitis pulsantur, Musicus concentus, ad oblectandos et commovendos animos hominum, elicitur: veluti sunt tuba, tibia, fistula, buccina, litui, organa, vtres, cornua: item testudines, citharæ, chelys, lyra, tympana, & similia alia: ex quibus Aristoteles præcipit, in ijs solum adolescentes exercendos esse, per quæ eorum animi possunt informari, & quodammodo erudiri etiam ad alias disciplinas facilius percipiendas.

Quare Plato in tertio libro de Republica & Aristoteles in hoc loco, improbant Tibias?

Huius rei Aristoteles hoc loco quatuor rationes adfert. Prima ratio est: Quia tibia non est instrumentum

mentum ἠδίκον, id est, ad mores formandos accommodatum: sed magis est ὀργμαστικόν, ad concitandos & inflammandos animos ad iram & furorem aptum: undè etiam olim in sacris & festis Bacchi, quæ Orgia appellabantur, celebrandis, earum frequens fuit usus.

Alter ratio est, Quia tibiæ inflatio impedit usum sermonis: nemo enim potest simul tibiæ inflare, & loqui: quemadmodum qui pulsat testudinem aut citharam, potest etiam simul canere aut loqui. Ob hanc causam etiam Alcibiades, ut est apud Plutarchum, persuasit Atheniensibus, ut abijcerent tibiæ: inquiens, ὁ γὰρ αὐλὸς ὀπισθομάζει, καὶ ἀποφράττει ἐκείνη τὴν φωνὴν, καὶ τὸν λόγον ἀφαιρεῖται, hoc est, Tibia enim os occludit, & vocem obturat, ac sermonem auffert.

Tertia ratio sumitur à factò Græcorum, qui aliquando uno eodemque tempore simul abrogarunt plura instrumenta Musica, quæ videbantur non ad formandos mores, aut moderandos affectus, sed magis ad inflammandos & concitandos animos hominum pertinere. Veluti erant Barbiti, Sambuca, Tibia, Litui, Pectides, & huius generis alia.

Quarta ratio sumitur à factò Minervæ: de qua Poëta fabulantur, quòd cum aliquando tibiæ fortè fortuna reperisset, cœperit eas inflare: cùm autem animadvertisset, ex ista inflatione os & faciem ho-

Ee

Σχολαστι-
κῶς οἱ γὰρ
γινόμενοι



minis deformari, statim eas iterum abiecerit.

CAPVT VII.

Ἐπεὶ δὲ
τὴν διαί-
τησιν ἀπο-
δεχόμεθα.

Quot fuerunt Harmoniarum species apud Græcos, tempore Aristotelis maximè usitatae & notae?

T Res: quarum una nominabatur Phrygia, quæ erat acuta, sonora, vehemens, & promovendis animis atq; excitandis affectibus accommodata: ideoq; eam vocat ἐνθουσιαστικὴ, & ὀργιαστικὴ: quæ eodem modo, sicut tibys, utebantur in celebrandis Bacchi sacris, quæ Orgia appellabantur: ut paulò antea dictum fuit: utilemq; esse ait πρὸς καθάρσιν, ad expurgandum vehementiorem aliquem affectum, quo animus, tanquam morbo aliquo laborat.

Quæ est altera species?

Altera species Harmoniæ dicebatur Lydia, quæ erat quodammodo Phrygiæ opposita: videlicet remissa, languida, & quasi depressa: magis conveniens senibus quàm adolescentibus: utilis tamen quoq; πρὸς τὴν διαγωγὴν, καὶ τὰς ἀεγέσεις: ideoq; ab Aristotele ἀεγλικὴ nominatur.

Quæ est tertia species?

Tertia species Harmoniæ vocabatur Dorica: quæ erat quasi media inter duas iam dictas Harmonias. Hanc Aristoteles dicit maximè accommodatam esse πρὸς τὴν παιδείαν, ad disciplinam & institu-

institutionem: ideoq̄, eam vocat ἠθικῶν, moralem:
 & adolescentes in ea maxime exercendos esse mo-
 net: quia potest in animo excitare motus stabiles
 & equabiles, convenientes temperantia & fortitu-
 dini: ad quas virtutes etiam adolescentes precipue
 sunt assuefaciendi.

Est ne etiam Musicæ harmoniæ aliquis usus
 in rebus sacris?

Φαμδὲ οἱ
 ἔμιας ἐνε-
 χεν ὡφει-
 λείας.

Harmonias Musicas etiam magnam vim ma-
 gnumq̄ usum habere in rebus sacris, ad monendos
 animos hominum, Aristoteles ait manifestè posse
 conspici ἐκ τῶν ἱερῶν μελῶν, ὅταν χησῶνται τοῖς ἐξ-
 οργάζουσι μέλεσιν ὡσπερ ἰαλείαις, hoc est, ex cantio-
 nibus sacris, quibus utuntur tanquam medica-
 mentis ad expiandos & expurgandos animos ho-
 minum. Et sanè hoc non solum ex Ethnicorum hi-
 storijs, & Poëtarum hymnis, ut Orphei & Home-
 ri, aliorumq̄ Lyricorum Odis probari potest: Gen-
 tiles solitos fuisse Musicam harmoniam adhibere
 in cultus divini administratione: sed etiam ex S.
 Literis constat, tam in veteri Testamento apud Iu-
 daeos, quàm in novo Testamento apud Christianos,
 magnum fuisse eius usum in laudando DEO, &
 celebrandis eius operibus atq̄ beneficijs: item in ex-
 citandis, erigendis, & consolandis perturbatorum
 animis. Vndè Regius propheta David subinde iu-
 bet DEVM laudare in cithara, psalterio, tympa-

no, organo : in chordis & cymbalis benesonantibus.
Et Apostolus Paulus in 3. cap. ad Colossenses, Chri-
stianos iubet se invicem commonere cantionibus,
laudibus, & cantilenis spiritualibus.

Sunt ne adolentes in omnibus his Harmo-
nijs instituendi?

Etiamsi Dorica harmonia magis adolescenti-
bus conveniat, ut antea dictum est, tamen ceteræ
non omninò sunt negligendæ. Sed ut in omnibus
alijs exercitijs, ita etiam in Musico exercitio spe-
ctanda sunt hæc duo: τὸ δυνατόν, id est, quid per
nos fieri & effici queat: & τὸ ἄριστον, id est, quid
unumquemq; deceat pro ratione conditionis, perso-
narum, temporis, & ætatis. Et in omnibus his præ-
cipuè servandum est τὸ μέσον, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν.

Ὁ δὲ πε-
ρὶ τῆς
Κυμβαί-
της πᾶθος.

Obiectio. Atqui non omnes homines semper in
eiusmodi vehementioribus affectibus sunt con-
stituti: proindè etiam non opus habent,
ut per Musicam ab illis li-
berentur?

Solutio. Etiam si non omnes homines sint ἐν
τῷ πάθει, hoc est, in animi perturbatione consti-
tuti, ut ipsis opus sit aliqua per harmoniam Musi-
cam recreatione: tamen non omnes homines sunt
παθητικοί, hoc est, eiusmodi affectibus obnoxij: alij
quidem magis, alij verò minus: pro diversitate tem-
peramenti, & complexionis corporum: & pro di-
versitate

versitate casuum fortuitorum: qui hominibus in hac vita possunt accidere, & tristitiam illis adferre: ad quam pellendam, Musica harmonia tanquam remedium potest adhiberi.

Est ne quavis harmonia apud quoslibet utendum?

Ἐπει δὲ ὁ
θεωτῆς διτ-
τῆς, ὁ μὲν
ἐλεύθερος.

Quoniam harmonia Musica accommodanda sunt voluntati & affectibus auditorum: hi autem non omnes eodem modo sunt affecti: ideò hoc loco considerandū est Musico, quales habeat auditores.

Quot Aristoteles facit auditorum genera?

Duplices sunt auditores: alij πεπαιδευμένοι, eruditi & politi: alij verò φησικὸὶ καὶ ἀπαιδευτοὶ, id est, rudes & ineruditi: apud priores utendum est harmonia Ethica, hoc est, quæ facit ad informandos mores: qualem supra dixit esse Doricam. Apud posteriores verò utendum est quibuscunque Melodijs seu Harmonijs, licet non sint usq̄, adeò artificiosè & exquisitè elaboratæ & compositæ: modo sint sonore, ad aures implendas accommodatæ. Ratio huius præcepti est: Quia unicuiq̄, id videtur esse iucundum, quod ipsius ingenio & naturæ est accommodatum: & ut Virgilius in Bucolicis scribit: Trahit sua quemq̄ voluptas.

POLITICORVM FINIS.

ARGENTORATI,
TYPIS IOSIÆ
Rihelij.

Anno M. DCI.



